DIVERSA VIRORUM DOCTORUM

DE RE TRAGICA ROMANORUM

IUDICIA

SUB EXAMEN VOCATA

A

GUSTAVO REGEL, PH. D.,
GOTHANO.

Tentavit quoque rem si digne vertere posset,
Et placuit sibi natura sublimis et acer;
Nam spirat tragicum satis et feliciter audet;
Sed turpem putat inscite metuitque lituram.

Hor. Ep. II. 1. 164 sqq.

Commentatio de sententia Amplissimi Philosophorum Ordinis Praemio Regio ornata.

GOTTINGAE, MDCCCXXXIV.
APUD VANDENHOECK ET RUPRECHT.

Iudicium Amplissimi Philosophorum Ordinis quod praefigi iussum est.

»Auctor commentationem suam ita instruxit, ut primnm illorum sententiam refellere atuderet, qui conteuderunt, Romanorum ingeniis vim et spiritum tragicum plane defuisse, ipsumque populum severam tragoediam prae aliis Indicris, seusus magis, vel atrocitate aua, ut gladiatoriis ludis, vel lascivia sua, ut mimis et Atellanis, percellentibus, fastidiisse, omniuoque mores ac stndia Romanorum ab ea plane abhorruisse. Tum quo seutentiam, quam ipse foveret, satis firmis fulcris stabiliret, partim adducendis tragicorum fragmentis, quae tanquam ex ungue, ut aiunt, leonem proderent, quae adeo sentantiarum gravitate orationisque dignitate maxime insiguia abnnde ostenderent, quid de summa rei tragicae iudicari oporteret; partim testimoniis veterum scriptorum locupletissimis probare anuisus est, Romanam tragoediam a Graeca qnidem altam eductamque fuisse, eandem tamen mox, relicta altrice, snis ipsam viribus confisam suoque robore nixam ad magnam laudem perveuisse. In tota hac tractatione auctor magnam iudieii subtilitatem doctrinaeque copiam et elegantiam Ordini adprobavit, neque quidquam ei excidit, quod in iustam reprehensionem incurrere posset. Excusatius enim factum videri debet qnum boc, quod in refutanda aliornm sententia paulo verbosior fnerit, quum in his magnae auctoritatis viri essent, qui secns statuerent; tum quod in lande tragoediae Romanae adtribuenda hic illic liberalior fuerit, cuius insuper aliquam partem sibi vindicet illius actio, a doctissimis artificibns, veluti Roscio, Aesopo et similibus, in scena exhibita, qua ipsos Romauos inductos fuisse credibile est, ut iusto maius pretinm poetis sui populi tragicis statuerint. Tum idem data occasione in locos quosdam, ab argumento haud alienos, digressus est, qui aut impeditiores sut a VV. DD. in pravum detorti esseot; quos quidem critico acumine exploratos luce sna collustrare, pravisque rectiora substituere allaboravit. His laudari dignissimis accedit oratio satis tersa ac laniter profluens, qualem fere argumenti indoles postulabat. — Quibns omnibus in consilinm vocatis, Ordo philosophicus uno ore palmam commentationi isti, sine pulvere victrici, deferendam censuit.«

ARGUMENTUM COMMENTATIONIS.

Introductio: Quaenam prolata sint diversa a Viris doctis de re tragica Romanorum iudicia . . . . p. 1—3.

CAPUT I.

De tragicis Romanorum poetis . . . . p. 3—49.

§. 1—6. Diiudicantur eorum Virorum opiniones, qui insignes inter Romanos existere non potuisse tragicos poetas ex ipsius populi Rom. indole ac moribus demonstrare studuerunt . . . . p. 3—18.

§. 1. Examinatur Planckii sententia, qui Romanos natura abhorruisse a tragoedia ex αὐτοσχεδιάσμασιν eorum conclusit . . . . . p. 3—8.

§. 2. Sub examen vocatur eorum virorum opinio, qui ex philosophiae apud Romanos conditione causam repetierunt, cur Rom. parum proficere potuerint in tragoediis scribendis . . p. 8—12.

§. 3. Diiudicatur Rosenkranzii sententia, qui Romanos, orbis terrarum debellatores, negat fati potentiam, quae in tragoedia illustratur, agnovisse . . . . p. 12—13.

§. 4. Quaeritur, num Romanis abiudicanda sit ea animi humanitas, qua opus est ad tragoedias condendas . . . . p. 13—15.

§. 5. Num ludi gladiatorii noxiam vim habuerint in tragicos Romanorum poetas . . . . . p. 15—16.

§. 6. Quid statuendum sit de eorum opinione, qui tragicis Romanis otium, quo ad coleudas artes opus est, defuisse, eosque inculti populi moribus sese accommodare debuisse censuerunt . p. 16—18.

§. 7. Num tragicos Romanorum poetas tragoediarum componendarum facultate destitutos fuisse exinde liqueat, quod Graeca semper fere argumenta tractarunt . . . . p. 18—27.
§. 8. Num ii recte statuerint, qui Romanos tragicos aut verbis verba Graecorum reddere curasse, aut ubi a Graecis vestigiis discesserint, in maxima vitia incidisse opinati sunt. Accuratius agitur de singulis Romanorum tragicis poetis p. 27—56.

CAPUT II.

De populi Romani tragoedias spectandi studio et amore.

§. 9. Praefatio huic capiti praemissa . . . p. 56—57.
§. 10. Quaeritur num Romanorum animi hebetes facti sint ad tragicos sensus percipiendos bellis, triumphis ac ludis (Atellanis, mimis, gladiatoriis ludis) . . . . p. 57—64.
§. 11. Disseritur de eorum sententia, qui Romanos contemsisse tragoedias putaverunt, tum quod de Graecis conversae illae fuerint, tum quod histriones in despectissimis hominibus habuerint p. 65—68.
§. 12. Quid ex certis veterum testimoniis concludi possit de studio, quo Romanus populus tragoediis spectandis intentus fuerit . . . p. 68—70.
Summa totius disputationis . . . . . p. 70.

VIRO ILLUSTRI

CHRISTOPH. GUIL. MITSCHERLICH

ET

AVO DILECTISSIMO

FRIDERICO GUILIELMO DOERING

HAS STUDIORUM PRIMITIAS

TANQUAM TENUE PII GRATIQUE ANIMI DOCUMENTUM

D. D. D.

GUSTAVUS REGEL.

INTRODUCTIO.

Ex omnibus Romanorum tragicis poetis cum unus Seneca integer ad nostram aetatem pervenerit, reliquorum vero paucissima tantum eaque maxime mutilata servata sint fragmenta: facile sane fieri potuit, ut diversa ac prouti quisque maiorem minoremve Senecae [1]) respectum habendum esse putaret aut austeriora aut leniora de re tragica Romanorum ferrent iudicia. Atque antiquiores quidem saeculi sexti et septimi decimi Philologi, quorum operae plures fragmentorum tragg. collectiones debemus, in universum clementer iudicarunt de pretio deperditis Romanorum tragoediis statuendo [2]), cum ipsas potius illas pauculas tragoediarum Latinarum lacinias ante oculos haberent, quam praeiudicatis opinionibus et conclusionibus a Seneca factis de tota re tragica Romanorum iudicarent. Recentiores vero critici a *Lessingio* inde unanimi paene consensu, alii tamen aliis argumentis usi, non solum neglectam ac vilissimi pretii pronunciarunt Romanorum tragoediam, sed via etiam et ratione causas expromere studuerunt, cur Romani natura tragoedias spernere debuerint, atque infelicia tantum pericula in iisdem componendis facere potuerint. Afferam hic tantummodo: *Lessingium* (Laokoon, p. 37 sqq.), qui omnis rei tragicae Romanorum perniciem fuisse censet gladiatorios ludos; *Herderum* (Wirkung der Dichtkunst bei d. Römern, IX. p. 401—

1) Pessimi poetae, de quo infra Cap. I. §. 8.

2) Cf. e. g. quae *Scaliger* in Scaligeranis p. 136. dicit de Ennio: »Poeta antiquus magnifico ingenio. Utinam hunc haberemus integrum et amisissemus Lucanum, Statium, Silium Italicum et tous les garçons là.«

410. — Ursachen des gesunkenen Geschmacks bei d. verschiedenen Völkern. VII. p. 27—37. Karlsr. Ausg.), qui Romanos non ad poesin et tragoedias spectandas, sed ad rempublicam gerendam, ad eloquentiam, et ad historiam scribendam natos fuisse dicit; *Jacobsium* (Nachträge zu Sulzer, I. p. 6 sqq. et IV. p. 332 sqq.), qui praeter studia populi a tragoedia aliena etiam hanc statuit fuisse neglectae tragoediae causam, quod non ut apud Athenienses cum populi religionibus ac moribus arcte coniuncta fuisset; porro *Badenium* (de Causis Neglectae a Romanis Tragoediae, Gotting. 1789.), *Planckium* (Prolegomena ad Ennii Medeam: »De Origine atque Indole veteris tragoediae apud Romanos disputatio.« Gotting. 1807.); *Fr. Schlegelium* (Geschichte der alten und neuen Litteratur, Th. I. p. 103—107.); *A. W. Schlegelium* (Vorlesungen über dramat. Kunst und Litteratur II. p. 4—29.), qui omnes quasi certatim novas causas invenire studuerunt, quibus ostenderent, nec magnos tragoediarum scriptores inter Romanos existere neque ipsum populum tragicis fabulis unquam delectari potuisse. Sed in hoc studio omnes fere aut certa veterum testimonia neglexerunt aut eiusmodi locos pro sua sententia attulerunt, qui nihil omnino probant et perperam ab iis explicati sunt. Hoc inprimis valet in *Badenii* Commentationem, quae insuper obscurissimo stilo exarata est, permultis locis contraria miscet, ac sine ullo ordine et iusta rerum distributione composita est. Nec cautius egit *Planckius*, qui, cum plerumque *Badenii* auctoritate nitatur et haud raro verba adeo illius repetat, non magna laude dignus est. — Primus tragoediae Romanae tamdiu contemtae patrocinium suscepit Vir lautissimis doctrinae copiis instructus, *A. G. Lange*, qui in »Vindiciis Tragoediae Romanae, 1822.«, missis iis omnibus, quae ad corrumpendam et deprimendam rem tragicam Romanorum contulisse Viri illi docti opinati fuerant, sola testium ac monumentorum fide innisus, demonstratum ivit, Romanos, si cum Graecis quidem compararentur, mediocri, sin autem cum aliis populis, magno studio et successu tragoediam coluisse. Qua in re evincenda ita prudenter versatus est, ut multos statim Viros doctos assentientes sibi habuerit, ut *Stieglitzium*, qui singularem libellum conscripsit de *Pacuvii Duloreste*, et duos VV. DD., qui Vindicias *Langii* examini suo subiecerunt, *Heysium* (Berlin. Jahrbb. 1828.) et Anonymum (Heidelb. Jahrbb. 1824. p. 139—143.). Attamen non defuerunt, qui etiam postquam *Langius* vindex tragoediae Romanae extiterat inveteratam illam de ea malam opinio-

nem fovere pergerent, vel novis adminiculis innitentes vel argumenta iam antea prolata, quae *Langius* consulto noluerat refutare, cum nimium ideoque nihil probare ei viderentur, denuo arripientes. Inter hos primum locum obtinent *G. Köpkius* (Neues Archiv für Philologie u. Pädag. v. Seebode, 1826. p. 46—61.: »Warum sind die Römer gegen die Griechen im Trauerspiel zurückgeblieben?«) et *Bährius* in historia literaturae Rom.; plures alios infra suo quemque loco memorabo. Itaque nondum ab omnibus tragoedia Romana tanti aestimatur, quanti faciendam eam esse *Langius* censuerat; scripturoque de re tragica Romanorum, etsi in plerisque cum *Langio* consentiat, multa tamen relicta sunt examinanda, refellenda, rectius constituenda. Opus enim erit, non solum, ut *Langius* fecit, testimoniorum fidei insistere, atque his adversariorum opiniones confutare, sed omnes ac singulas etiam sententias hucusque de tragoedia Romana prolatas, quantum fieri potest, sub examen vocare et sic quae minus recte posita sunt a *Langio* corrigere, quae vero iure suo contendit confirmare et dubitatione eximere studere. Acturus igitur primum *de tragicis Romanorum poetis*, tum de *populi in tragoediam amore et studio*, rem ita meam instituam, ut diiudicatis antea eorum opinationibus, qui incultam iacuisse rem tragicam apud Romanos statuerunt, inquiram in ipsos veterum locos et tragicorum reliquias atque brevius tangens quae iam a *Langio* tractata sunt, prolixius vero persequens quae ille paucis tantum attigit, ostendam, qualis artis tragicae apud Romanos conditio fuisse videatur.

CAPUT I.

DE TRAGICIS ROMANORUM POETIS.

§. 1.

Neglecta haudquaquam ab ea parte dici potest Romanorum tragoedia, quod pauci tantum fuerint, qui operam suam ei impenderint [1]): nam etsi non omnes eos ad tragicos *poetas* referendos

1) Quanquam nonnulli et de inopia tragicorum questi sunt, ut *Fr. Schlegel*, Gesch. d. Litt. p. 104. *Jacobs*, Nachtr. zu Sulzer, I. 12. IV. 337.

duco, quos *Lange* Vindic. p. 7—11. recenset, quorum multi potius ut vires suas periclitarentur, quàm quod nati essent ad poesin, animum ad tragoedias componendas videntur applicuisse (ut M. T. Ciceronis frater Quintus, Augustus, alii) [2]): haud parvum tamen apud Romanos viguisse tragoediarum scribendarum studium, multosque unice huic studio deditos fuisse, non est quod negetur. Causa vero, cur post Attium aliquamdiu siluerit tragica Musa, magis quaerenda erit in ipsis temporibus, quae nulli poeseos generi favebant, quam in ingenio Romanorum; nam cum primum denuo effloruisset poesis sub Augusti imperio, etiam tragici magni nominis extiterunt, qui tragoediis scribendis impense operam navarent. Inquirendum igitur solummodo erit, *quo successu* ii fuerint gavisi, qui tragoedias Latinas composuerint: quam quaestionem, ut dictum est, ita instituam, ut primum eas causas, quibus factum putant Viri docti, ut tragici Latini non multum praestare potuerint, accuratius examinem, tum quid vere praestiterint exponam.

Primo loco ponam *Planckii* (Prolegg. ad Ennii Med. p. 10—31) sententiam, qui nativam Romanorum indolem abhorruisse a tragoedia censet propterea, quod *αὐτοσχεδιάσματα* eorum nihil eiusmodi habuerint, quod ad tragoediam ducere potuisset. Nihil enim ante Livium Andronicum reperiri apud Romanos, nisi agricolarum Fescenninos versus et Satiras istas rudes et inconditas, Fescenninisque versibus simillimas, quae per centum amplius annos solae scenam occupaverint. Defuisse iis sublimiorem deorum venerationem, inprimis vero chori cantica, e quibus apud Graecos profecta sit tragoedia. — Sed cavendum est, ne plus aequo huic argumento tribuamus. Primum antiquis illis temporibus expectare non possumus choricam apud Romanos poesin, cum hi per multa saecula unice fere dediti essent bello atque agris colendis, et lingua eorum ita rudis et inculta esset, ut serioribus temporibus ne intelligeretur quidem amplius. Et tum, etiamsi concedamus natura Romanorum ingenium multo magis abfuisse a lyrica sublimitate quam a ceteris poeseos generibus, tamen inde non sequitur etiam tragicae actionis gravitatem assequi eos non potuisse. Nam in solis choricis carminibus non cernitur vis tragoediae: unde recentiorum populorum tragoediae quanquam careant choris nihilominus

2) Cf. Censorem *Langii* Vindic., *Heysium*, Berl. Jahrbb. 1828. p. 477. et *Bernhardyum*, Röm. Litteraturgesch. p. 170.

tamen tragicum effectum habent. Romani quidem postea non plane omiserunt in tragoediis choros, ut multi Viri docti falso contendernnt [3]: sed magnopere immutatam esse ab iis chori rationem certum videtur. Si conclusionem nobis facere licet ex Senecae choris et ex fragmentis nonnullis e Pacuvii et Ennii choris nobis servatis (Gell. XIX. 10. Auct. ad Herenn. II. 23.; cf. *Stieglitz*, de Pacuvii Duloreste, fragm. XX.) [4], neque strophas antistrophasque cantabat Romanorum chorus, neque metra tanta arte ac copia variata erant, quanta in Graecorum choricis carminibus, nec denique plerumque ea sensuum sublimitas in illo conspicua erat, qualem in Graecis admiramur. Chorus igitur actoris potissimum apud Latinos tragicos partes sustinebat; sed immiscebat etiam precationes ad deos et generales sententias ad singularum dramatis personarum conditionem spectantes. Omnis illa magnificentia, qua chorus in Graecum theatrum introducebatur, apud Romanos defuisse ei videtur: et saltationes eius ita simplices redditae, ut or-

---

3) Cf. *Langii* Vindic. p. 22. not. Miror *Bernhardyum* (Litteraturgeschichte, p. 172.) et Virum Cl. *Grysarium* (Allgem. Schulzeit. 1832. Abth. II. no. 40. p. 319.) nuperrime veterem illam et a Langio satis iam refutatam opinionem iterum refricuisse. Ille dicit, qui chori Romanorum a scriptoribus commemorentur, eos non ad tragoedias, sed ad pompas sollennes pertinere: hic vero ex Livio VII. 2., ubi nulla chori mentio fiat, sequi ait Romanis defuisse chorum. Sed Gell. XIX. 10. aperte loquitur de choro Ennii Iphigeniae; Liviusque l. l. ideo non commemoravit chorum, quod de solis actoribus eorumque canticis, quae ab alio cantabantur ab alio saltabantur, exponere volebat. — Et quid statuamus e. g. de Attii Phoenissis? in qua fabula si chorus defuisset, non intelligeretur, quomodo plures Phoenissae simul loqui potuissent. Praeterea ipsius Senecae fabulae argumento esse possunt, Latinos tragicos chorum non omisisse: neque Horat. in Epist. ad Pis. tam accurate chori leges exposuisset, si ex Romana trag. ille plane exulasset (Falsissime *Planckius*, Prolegg. p. 57. not. Horatium putat monologorum respectu de *choro* locutum esse).

4) Chorici carminis ex Eurip. Medea v. 1241 sqq. initium Ennius (ap. Prob. ad Virg. Eclog. VI. 31.) ita vertit:

Cret.	Iuppiter tuque adeo summe Sol	(perperam Bothius
Glycon.	Qui res omnes inspicis	versus distribuit).
— — ∪ ∪ — ∪ —	Quique tuo lumine mare	
	Terram ac caelum contines	
	Inspice hoc facinus prius	
	Quam fiat prohibe scelus.	

chestra non amplius opus ei esset. — Itaque largiendum *Planckio*, nativam Romanorum indolem non assurgere potuisse ad eam sublimitatem, qua lyrica tragoediae Graecae carmina excellunt: sed minime id concedendum, quod ex Romanorum αὐτοσχεδιάσμασιν concludit, Romanos ad iocos tantum et inanes ludos propensos tragicoque sensu omnino destitutos natura fuisse. Nam nonne et Graeci festos habuere dies, quibus unice laetitiae dediti ac genio suo indulgentes iocularia funderent dicta et ludicris se invicem peterent scommatis [5])? Et nonne apud alios quoque populos ea fuisse reperimus rei scenicae initia, ut primum ludicra tantum scenae committerentur? in quibus tamen populis summi postea tragici extiterunt [6])? — Neque vero Romani iam rudibus istis temporibus omnis severioris Musae expertes erant: nam etsi lyricam poesin non haberent (nisi forte quis fratrum Arvalium et Saliare Numae carmen huc malit referre); tamen id moris fuisse accipimus, ut in conviviis maiorum laudes aut assa voce aut ad tibiae cantum celebrarentur [7]). Itaque Romani non abhorrebant a gravioribus; sed quicquid maiores et pugnantes et morientes pro patria insigne fecissent, id grata memoria decantabant et tanquam exemplum omni-

---

5) Errat *Planckius*, qui haec iocularia Dionysi festa confundit omnino cum tristioribus (Lenaeis), statuens et tragoediam et comoediam iisdem dei festis apud Graecos ortam esse. Initio enim festorum putat sacra peracta hymnosque cantatos, tum ab hominibus, curis omnibus solutis vinoque plenis, mutua inter se scommata fundi solita esse: ex his comoediam, ex illis tragoediam enatam. Sed non dubium est, discrimen faciendum esse inter laeta et tristia Dionysi festa: quorum illa simillima erant Romanorum ruralibus post condita frumenta iocationibus. Cf. de Romanorum ludis *Stievium* de Rei Scenicae ap. Rom. Orig. p. 6 sq.; qui de Graecorum tamen agrestibus ludis, p. 11—14., non minus falsa profert, quam *Planckius*. Censet enim in Graecia servos tantum, qui agros dominorum colerent quique antea ipsi terrae domini fuerint (Penestae, Helotes), ex antiquo more post demessas fruges laetitiae ac ludicris iocationibus vacasse, dum ipsi domini severiore modo deos venerantes iisdem festis choricam poesin invenerint. Sed id quomodo demonstrari possit de Atheniensium festis nondum exputo, cum horum servi aut emti aut bello capti essent.

6) Cf. quae de nostrae scenae initiis disputavit *A. W. Schlegel*, Vorles. III. p. 378 sq.

7) Locos huc spectantes collatos vide ab *A. W. Schlegelio*, Heidelb. Jahrbb. 1816. p. 837 sq.

bus imitandum suis proponebant. Denique etiam ea in re dissentio a *Planckio*, quod satiras Romanorum Fescenninis versibus simillimas et rudes et inconditas appellat, easque centum plus annis immutatas scenam occupasse dicit. Ex Livii enim narratione (VII. 2., quacum in universum consentit Valer. Max. II. 4. 4., singulis exceptis, ubi Valer. more suo negligentius exscripsit Livium) dilucide apparet errare *Planckium*. Refert Livius haec: » anno U. C. 390, cum pestilentia Romae grassaretur, placandorum deorum causa ludiones ex Etruria accitos esse, qui sine ullo carmine aut mimico actu ad tibicinis modos haud indecore saltassent. Horum deinde saltationem iuvenes imitatos esse, incondita inter se iocularia fundentes versibus, motibus haud absonis a voce. Paullatim tum crevisse artem scenicam, eamque ita excitatam esse, ut vernaculi artifices, Tusco verbo histriones appellati, non sicut ante Fescennino versu similem incompositum temere ac rudem iacerent, sed impletas modis satiras, descripto iam ad tibicinem cantu motuque congruenti peragerent, donec *aliquot annis post* Liv. Andronicus primus argumento fabulas serens a risu ac soluto ioco rem avocaret et ludum in artem vertere inciperet. « — Ab initio igitur iuvenes Romani saltationi Etruscorum nihil adiiciebant, nisi incondita illa dicta, quae iam antea fundere soliti fuerant agrestium deorum festis [8]: sed paullatim perrepsit res scenica ad *satiras*, quas diserte Livius *non similes* vocat Fescenninis versibus, sed modis impletas et arte quadam iam actas narrat [9]. Videmus igitur a tenuibus initiis Romanos suopte ingenio progressionem ad cultiora et perfectiora fecisse: neque ita tamen, ut statim post Etruscorum saltatorum adventum invenerint saturam, eamque, ut *Planckius* autumat [10], per centum amplius annos immutatam tenuerint, sed ita, ut per tempus aliquod soli Etrusci ludiones saltantes prodirent, tum iuvenes Romani saltationi eorum antiquos suos iocolares versus adderent, hinc saepius usurpando rem scenicam excitarent et sic paullatim satiram excolerent. Hoc paullo ante Livium Andron. factum esse iure colligere mihi videor ex Livii

8) Cf. *Schober*, über d. Atellan. Schauspiele der Römer, p. 4. *Stieve*, l. l. p. 42. *Planck*, l. l. p. 24.

9) Cf. *Stieve*, l. l. p. 44.

10) Et ut alii quoque putaverunt, e. g. *Schober*, l. l. p. 6. *Bothe*, Poett. Latt. Scenn. fragm. p. 3. *Wolff*, de Canticis in Romanorum fab. scen. p. 9. *Osann*, Anall. Critt., alii.

verbis *post aliquot annos*, quae omnes quidem dicta acceperunt de 125 annorum spatio, sed optime intelligi mihi posse videntur de exiguo temporis spatio, ex quo scilicet rustici illi ludi arte accedente perfectiorem satirarum formam induerent. Itaque iam bellicosis istis et turbulentis temporibus Romani relictis illis inconditis iocis ad meliora evecti fuerant; et admodum verisimile mihi videtur (quanquam non ignoro multos eosque doctissimos viros aliter iudicasse) 11), Romanos etiam sine Graecis doctoribus poesin sibi exculturos fuisse, quae propriis virtutibus insignis veram Romani ingenii imaginem nobis praeberet. Sed id magis patebit ex iis, quae infra disputabuntur: sufficit hic monere, non adeo rudia fuisse prima Romanorum conamina, ut *Planckius* aliique putaverunt, neque ex his ipsis conaminibus, quae in ludicris rebus versarentur, recte concludi posse, tragicam indolem Romanis defuisse.

§. 2.

Transeo iam ad eorum opinionem breviter diiudicandam, qui causam, cur Romani tragici parum proficere potuerint in tragoediis scribendis, ex *philosophiae* apud Romanos conditione repetendam putaverunt 1). *Badenius* et *Planckius* philosophia factum esse dicunt apud Graecos, ut tragoedia, quae ante nimis vehementer spectatorum animos commovisset ac personarum fastu quaesito et affectato displicuisset, »misso illo inani tumore et feris clamoribus suavissima affectuum mentis humanae commotrix et certissima emendatrix exstitisset.« Hoc mirabili artificio unum Euripidem meruisse, ut ab Aristotele τραγικώτατος appellaretur, quippe qui Socratica institutus philosophia naturas hominum vimque omnem humanitatis optime cognovisset. Cum vero Romani philosophiae studium plane neglexissent antiquiore tempore, veteres eorum tragicos nec novam viam inire et sic ad summa contendere 2), neque etiam in vertendis Graecorum fabulis meliora assequi potuis-

---

11) Inprimis *Jacobs*, Nachtr. zu Sulzer I. p. 9. *Dunlop*, History of Rom. Litterat. I. p. 15. *Thompson*, Classic. Journal. no. 61. p. 115. *Stieve*, l. l. p. 4. et 38.

1) Ita iudicarunt: *Baden*, de causs. negl. a Rom. Trag. p. 16 sq. *Planck*, Prolegg. p. 35. *Köpke*, Neues Archiv. p. 57—60. *Bernhardy*, Röm. Litt. p. 172. coll. p. 11.

2) Ita intelligo obscurissima Badenii verba, ad quae explicanda Oedipo divinatore opus est.

se [3]). — Eodem modo *Köpkius* omnes fere poeseos virtutes derivandas censet a philosophia. Hanc enim dicit non solum suppeditare poetae sententiarum copiam, sed praescribere ei etiam logicam formam, qua indutae sententiae illae enunciari debeant: imo philosophiae tantum opera cognosci et explicari posse, quid pulcrum sit et ad artem proxime accedat. Romanos vero per longum tempus nullam omnino habuisse philosophiam, et postquam tandem philosophari inceperint, praetulisse eos omnibus reliquis Zenonis et Epicuri placita, quae omnium minime tragoediae tragicisque sistendis characteribus faverint. Epicureos enim omnem felicitatem in beata vita ponentes ac minimi facientes virtutem, quae coniuncta esset cum dolore, non potuisse cogitare de componenda tragoedia, in qua heroes inducerentur vitae felicitatem morti postponentes et in qua fati potestas amplissimarum gentium interitu conspicua redderetur. Stoicos vero, licet tragicum quid spirarent et morti potius occumbere vellent, quam virtutem relinquere et a pugna contra fati necessitatem desistere, tamen ideo ad tragoediae perfectionem nihil contulisse, quod ea virtutis species, quam animo suo informaverint, nimis recesserit a vitae veritate, et quod vitam ipsam ita contemserint, ut tragicus heros Stoici instar moriens neutiquam miserationem movere posset. Denique *Bernhardy* negat Romanorum ingenium, cum a philosophica rerum contemplatione longissime abfuerit, aeternas vitae leges in tragoedia valuisse manifestare; nihilque dicit exspectari posse a tragicis Latinis nisi vividam virtutis utilisque vitae imaginem [4]). — At

---

3) Monendum tamen *Planckium* non in universum contendere omnes veteres tragicos philosophiae studium neglexisse; sed dicit, si qui fuerint philosophia instituti, alias causas accessisse, quae eos impediverint, quominus »omnem ex philosophia fructum omnemque utilitatem ad fabularum dignitatem virtutemque perficiendam sibi compararent.« De his causis infra dicetur; cf. §. 6. — Sed videmus, quam cupide tragoediae Latinae contemtores omnia argumenta conquisiverint, quibus sententiam suam comprobarent, cum etiam ea protulerint, quae omnino supervacanea videri nobis debent. Nam ipsi concedunt, etiamsi abessent illa, non minus tamen Romanos in tragoedia excellere non potuisse.

4) — — da folglich die Speculation hier kein formales u. bedeutsames Prinzip wurde, so darf man in der Römischen Poesie nur ein geringes Maass an philosophischer Tiefe und durchdringender Form erwarten, wie ihre Tragödie bezeugt, nebst den meisten dramatischen Erscheinungen, welche mit den Anklängen kräftiger Aus-

primum veteres Romanorum tragici non omnino ignari erant Graecae philosophiae, ut de Ennio et Pacuvio satis constat; deinde nulla plane philosophia opus est ad carmen aliquod condendum. Nam quae Viri illi Docti de utilitate philosophiae et de commodis ad artem ex ea redundantibus disputarunt a nulla parte vera mihi videntur. Quid enim iudicabunt de Homero, qui quanquam aliquot saeculis ante nascentem in Graecia philosophiam viveret summa tamen veritate hominum ingenia nobis depinxit, ac neque sententiarum copia destitutus est neque unquam contra logices regulas peccavit? quid de Shakspeario, qui nullam edoctus philosophiam intimos humani animi recessus aperuit et natura duce verissimam vitae morumque imaginem nobis descripsit? — Neque ipsa Graecorum tragoedia tantum debuit philosophiae, quantum illi VV. DD. putarunt. Sophocles enim, quantum scimus, neque philosophorum ulli sectae addictus neque omnino in philosophia multum versatus erat, et tamen mira arte hominum ingenia expressit et tragoediarum suarum compositionem instituit: Euripides vero tantum abest ut philosophiae ope adiutus summi tragici laudem sibi vindicet, ut certum sit, philosophiae studium haud raro noxium fuisse eius tragoediis [5]. Τραγικώτατος enim appellatur Euripides ab Aristotele (Poet. c. 13.), non quod optime tragici vicibus functus sit, sed quod plurimae eius tragoediae pectus acerrimis affectibus commovent: in reliquis ipse Aristoteles eum multa non bene instituisse concedit. Facile autem ostendi potest, philosophiam ad nullum poeseos genus excolendum necessariam [6]) aut saltem adiumento esse. Cum enim philosophus in causas rerum inquirat purasque omnium rerum notiones mente ac cogitatione separet, poeta inscius paene et ipsa rerum naturae contemplatione edoctus verum cognoscit [7]), et, tanquam imagine, car-

---

sprüche gemischt der zeitgemässen Forderung genügten, weil man kein ideales Kunstwerk, wohl aber ein tüchtiges Bild analoger Thatkraft suchte, p. 11.

5) Cf. *A. W. Schlegel*, Vorles. I. p. 210 sq.

6) Nisi exceperis eiusmodi didactica carmina, quale Lucretii est de rerum natura: quae vero externa tantum forma et orationis ornatu similitudinem quandam habent cum poematis.

7) *A. W. Schlegel*, Vorles. II. p. 72 sq.: »Wer die ächte Handlungsweise des Genies kennt, welche auf der fast unbewussten unmittelbaren Anschauung grosser Wahrheiten beruht, keineswegs

mine illud exprimit. Divino quasi afflatu instinctus abripitur poeta ad hominum mores, quales ipse cognovit, vere describendos et ad summas vitae leges ipsius vitae imitatione illustrandas. Quodsi vero diffisus huic afflatui philosophando invenire studet optimam et totius carminis et singularum eius partium formam, si meditatione excogitat generalem aliquam sententiam, quae totum poema contineat: fieri non potest, quin minus conspicua sit in carmine ea poeseos veritas, quae ex ipsius vitae intuitu, non ex abstractis, ut ita dicam, rerum notionibus acquiritur. Praecipue vero hoc accidet tum, cum quis philosophiae alicuius sequetur praecepta, quae ab una tantum parte vitam contemplari consuevit, ut Stoicorum et Epicureorum secta: unde plane assentior *Köpkio*, qui Stoicos et Epicureos philosophos non aptos censet tragoediis scribendis: quanquam non nego, fieri posse, ut aliquis Stoicis praeceptis imbutus magni tamen tragici laudem mereatur; sed qui Stoicus tali laude dignus est, eum nondum ita assuefactum putaverim philosophicae de rerum natura meditationi, quin poeticae animi inflammationi totum se dedere, atque ipsius vitae veritatem fideliter exprimere possit [8]). Quantopere vero carmini suo noceat, qui philosophicam aliquam sententiam eo illustrandam sibi proponit, docet etiam immortalis nostri Schilleri exemplum (quem *Köpkius* dicit philosophiam optime cum poesi coniunxisse). Hinc persuasissimum habeo philosophiam tragoediae Romanae non tam profuturam fuisse, quam nocituram, Romanosque si via ac ratione aut novam diversamque a Graeca tragoediae formam excogitare aut aeternas vitae leges (ut *Bernhardyus* vult) tanquam puras notiones animo comprehendere voluissent, nihil praestituros et a vera vitae imagine longe abfuturos fuisse. Sed ut apud omnes populos poetae prius extitere quam philosophi, cum multo difficilius sit et multo maioris animi maturitatis, causas rerum investigare verumque ut puram notionem cognoscere, quam ipsos animi sensus effari, ac vitae naturaeque imaginem effingere: ita etiam Romani poesin ante

auf vermittelten und auf dem Umwege erschlossener Folgerungen erlangten Ueberzeugungen, dem wird jede künstlerische Thätigkeit, die von einer abstrakten Theorie ausgeht, schon deswegen verdächtig werden.«

8) Cf. *A. W. Schlegel*, Vorles. II. p. 46: »Alfieri vergass, dass der tragische Dichter wohl ein Stoiker, aber die tragische Darstellung selbst nicht stoisch sein darf, wenn sie anders rühren und erschüttern soll.«

quam philosophiam habuerunt, Graecis insuper doctoribus utentes, a quibus non ita saltem recessisse putandi sunt, ut tantum heroum virtutem tragoedia celebraverint. Imo et Romani, praestantissimi cuiusque interitum et summam fati potentiam experientes, sempiternas naturae leges ipsius vitae imagine declarare poterant.

§. 3.

At id ipsum, quod modo posui, *fati scilicet potentiam* et generis humani imbecillitatem agnovisse Romanos, negavit Vir Doctiss. *Rosenkranz* [1]), quippe quod Romani, totius orbis terrarum debellatores, sibi ipsi visi fuerint fati gubernatores, nec quippiam semet ipsis maius existere putaverint. Nolo hic provocare ad Horatii illa verba: »Nam spirat tragicum satis et feliciter audet (sc. Romanus)«; nolo afferre Livii et Taciti historias, quas notum est plenas esse tragicorum casuum ad excitandos miserationis et terroris sensus mirifica vi enarratorum [2]). Abunde patet ex populi Romani religionibus, eum non, uti aliis populis videretur, ita et sibi visum esse necessitatem ab nulla vi externa pendentem. Nihil enim susceptum a Romanis, nisi perspecta antea deorum voluntate; nulla reportata victoria, nisi ut diis gratia ageretur, supplicationesque in eorum honorem decernerentur. Quovis die sacrificia Iovi facta pro incolumitate imperii (Gell. X. 15.): et in ipsis imperatorum triumphis maximus semper honor diis habitus [3]). Unde Cicero de Harusp. Respons. c. 9. dicere poterat: »tamen nec numero Hispanos, nec robore Gallos, nec calliditate Poenos, nec artibus Graecos, nec denique hoc ipso huius gentis ac terrae domestico nativoque sensu, Italos ipsos ac Latinos, sed pietate ac religione, atque hac una sapientia, quod deorum immortalium numine omnia regi gubernarique perspexi-

---

1) Geschichte der Poesie, p. 301 sq. »es (Rom) konnte keine Tragödie haben, denn ihm fehlte der mythisch-epische Hintergrund und die Empfindung des Schicksals, wie sie die Griechen kannten, weil es in seiner ununterbrochenen Siegerkraft, selbst das Schicksal aller Völker und sich selbst die bestimmende Nothwendigkeit eines unbezwingbaren Willens war.«

2) Cf. *Langium,* Parerga ad Vindic. p. 53 sq.

3) Liv. XLV. 39. — Publicus servus eodem curru pone imperatorem triumphantem vehebatur (Iuven. Sat. X. 41.) acclamans ei: »memor sis te hominem esse.«

mus, omnes gentes nationesque superavimus.« Neque vero etiam nobiles (ut *Köpkius*, l. l. p. 32. autumat) abiecerant illam divini fati verecundiam ac timorem. Meminerimus solummodo Scipionis in ruinis Carthaginis lacrymas fundentis et ex huius urbis interitu suae patriae fatum praesagientis; Paulli Aemilii, quem Plutarchus (Aemil. c. 27.) narrat hortatum esse suos post victoriam, ne nimia fortuna elati immodesti fierent; ut cognoscerent ex Macedonici regni casu omnium rerum humanarum fragilitatem et brevitatem [4]). Et num ipsi fortasse Romani nunquam experti sunt fati vim ac potentiam? Nonne summi eorum duces, qui innumeras paene gentes Romanorum imperio subiecerunt, ut Pompeius et Caesar, tristissima humanorum casuum documenta erant? Nonne maximi interdum Romanorum exercitus ad internecionem usque caesi et ipsa respublica in summum discrimen vocata est? — Profecto cupidius iudicavit *Rosenkranzius*, cum fati vim non sensisse Romanos censeret; neque ei hinc concludenti, tragoediam defuisse Romanis, ullo assentiri modo possumus.

§. 4.

Aliam causam, cur bene succedere Romanis non potuerit tragoediarum componendarum studium, in eo positam putarunt nonnulli Viri Docti [1]), quod destituti fuerint mitiore illa *humanitate*, quae in omnibus Graecorum ingenii operibus inde ab Homero conspicua sit. Celerrime enim Romanos a prisca illa morum severitate, qua nihil anteposuerint patriae saluti, degenerasse ad avaritiam et libidinem: fuisse eos totius quasi orbis terrarum tragicos, atque edidisse tristissima regum captorum aut in vinculis trucidatorum spectacula. Tales vero homines non potuisse molliores animi affectus carmine excitare, sed in tragoediis aut summam morum corruptelam aut Stoicum doloris ac mortis contemtum (qui solus ex pristina virtute iis remanserit) exhibuisse. — Accederem huic *Schlegelii* sententiae lubentissime, si ea, quam nobis depingit, populi Romani imago ab omni parte vera esset. Primo nemo quidem

4) Cf. quae de M. Marcello Syracusarum expugnatore similia narrat Augustin. de Civ. Dei, I. 6. Non inepte fortasse talia conferres cum verbis Ulyssis in Soph. Ai. v. 124 sqq., tragici affectus sane plenissimis illis.

1) *A. W. Schlegel*, Vorles. II. p. 22 sq. *Dunlop*, Hist. of Rom. Litter. I. p. 335 sq.

erit, qui neget, corruptos esse Romanorum mores post devictum orientem: sed neutiquam haec morum depravatio in totam subito civitatem ingruisse putanda est: imo per extrema quoque reipublicae tempora non defuerunt viri, qui pristinam virtutem retinentes a communi vitiorum labe pollui sese non paterentur [2]). Ipse Cicero in Orat. pro Fonteio XIII. 29. Gracchorum tempora non dubitat appellare *optima*, *quibus hominem invenire neminem nequam posses*: quod etsi de sequenti saeculo nemo dixerit, tamen procreavit illud Catones, Cicerones aliosque viros insignes, quorum virtus non in sola cernebatur mortis contemtione: unde in Dial. de Orat. c. 28 sqq. huius aevi severitas opponitur insequentium temporum levitati et pravitati. Neque mitiores in Romanorum animis eo omnino suffocatos dixerim sensus, quod orbem terrarum sibi subiicerent ac florentissima imperia everterent. Nam licet negari nequeat, eos multa insolenter, multa crudeliter fecisse, tamen id nec ad maiorem populi partem pertinet, nec solis Romanis opprobrio vertendum est, sed cadit quodammodo in omnes victores populos. Ipsi Athenienses quanta tractabant insolentia et duritie hostes suos et socios! quam omnia sibi licita putabant, quae ad urbis suae gloriam et salutem conferre viderentur [3])! — Et quid de iis Latii poetis, quos adhuc superstites habemus, statuamus, si vere iudicavit *Schlegelius* de Romanorum ingenio? Num Catullus, Tibullus, Horatius, Ovidius, Virgilius, alii nihil aliud carminibus suis expresserunt, quam aut morum depravationem aut Stoicam virtutem? Annon ubique in his deprehenditur summa animi humanitas, summa affectuum veritas ac teneritudo? — Non minus autem, quam hi, etiam tragici Romanorum poetae animum suum Graecis operibus excoluerant; non minus, quam hi, iam veteres illi, Ennius et Attius, usi fuerant eruditissimorum Romanorum [4]) familiaritate et amicitia, quae mirum quantum studia

2) Cf. *Manso*, Nachtr. zu Sulzer, IV. p. 443 sq.

3) Compares *Jacobsium*, Nachtr. zu Sulzer, IV. p. 89, inter alia haec dicentem de Atheniensibus: »Denn was sie gegen Feinde und Bundesgenossen mit Stolz od. Uebermuth erfüllte, machte sie in ihrer Heimath glücklich und froh.«

4) Cogites de Scipionibus, Dec. Bruto, Fulvio Nobiliore, qui dimicaverant quidem sedulo contra patriae hostes, sed omni tamen humanitate expoliti erant; adeo ut Scipio et Laelius adiuvasse dicerentur Terentium in fabulis componendis. Hinc probare non possum, quod *Köpkius* (Arch. p. 53) priscam Romanorum *rusticitatem* et per Scipionum aetatem perdurasse dicit.

eorum adiuvabat. Itaque non possum non dissentire a *Schlegelio*, omnes Romanos humanitatis expertes proclamante, et quanquam haud iverim infitias, bellicam illam Romanorum virtutem etiam tragicis heroibus quodammodo impertitam esse (cf. infra), tamen in Stoico mortis ac dolorum contemtu placuisse sibi Romanos ostentando, neutiquam concedendum est [5]). Omnino vero ita iudicat *Schlegelius* de tragicis Romanis, ac si Marius aut Mummius aut Verres aut alii huiusmodi homines tragoedias scripsissent: qui talia profecto opera, qualia *Schlegelius* sibi fingit, effecturi fuissent.

§. 3.

Nec magis, quam *Schlegelii*, pro vera habere possum *Lessingii* [1]) sententiam, qui cruentis *gladiatorum* spectaculis factum putat, ut tragici Romani omnem humanitatis ac naturae sensum ex animo dimitterent, et, licet summo ingenio praediti, nil tamen nisi inanem verborum pompam et magniloquentiam in tragoedia sectarentur. Opposuit iam *Langius*, Vind. p. 2. not. 2., Hispanorum Anglorumque exemplum, qui quanquam taurorum gallorumque cruentas commissiones semper maxime adamaverint, Calderones tamen habuerint et Shakspearios [2]). Et afferri contra possent omnes, qui nostram aetatem tulerunt, Romanorum poetae et scriptores, in quorum operibus non minus, quam in tragoediis, conspici deberet perniciosa illa, quam ludi gladiatorii in Romanorum animos habuisse dicuntur, vis atque effectus: in quibus nihil tamen eiusmodi reperitur [3]). Verum quidem est, Romanos, qua erant bellicosa indole, omnibus reliquis spectaculis praetulisse gladiatorios ludos (Cic. pro Sext. c. 59. Cf. infra §. 10.), et maxime admiratos esse gladiatorum fortitudinem et victoriae eu-

5) Senecam, ut semper, et hic excipio.

1) Laokoon, p. 38 sq. Ac multi eum secuti sunt, ut *Baden*, de Causis Neglectae Tr., p. 47 sq. *Planck*, p. 45 sq.

2) Quae contra hoc argumentum protulit *Köpke*, Arch. p. 56, nihili sunt; nam si Shakspearii ingenium, ut dicit, apud quemque etiam rudissimum populum viam aperire sibi debebat, cur idem non ad Romanorum quoque summi ingenii tragicos poetas pertineat?

3) Hoc ipsum et *Bernhardyus*, Litteraturgesch. p. 171. not. 288. videtur indigitare, dicens: »Sowohl die Chronologie als die psycholog. Schätzung der Röm. Litteratur stehen diesem vorgeblichen Einflusse (der Gladiatoren-Spiele) entgegen.«

piditatem, qua et ipsi ad virtutem et mortis contemtum accenderentur necesse erat (§. 10.). Sed praeter hanc fortitudinem nihil spectabile erat in illis damnatis et vilibus hominibus [4]), et tantum aberat, ut eos cum tragicis heroibus conferrent Romani, ut inter contemtissimos et abiectissimos haberent, quorum nomen adeo convicii instar esset. Horum igitur mores ad tragoediam transferre ne in mentem quidem venire poterat Romanorum tragicis, et etiamsi admirarentur fortasse in illis, quid consuetudine homo assequi posset in perferendis corporis doloribus, bene tamen memores erant, eos hac ipsa sua fortitudine spectaculo esse populo. Hinc nec in iis tragoediis, quibus heroes induenntur summos corporis dolores perpetientes, ut in Philocteta, Niptris, al., *cothurnatos gladiatores* in scenam produxerunt. Hoc aperte demonstrant fragmenta nonnulla, quae temporum iniuriae eripuit Cic. Tusc. Disput. II. 7. et 21., ex Attii Philocteta et Pacuvii Niptris [5]). Minus quidem flebiliter ibi lamentantur Philoctetes et Ulixes, quam apud Sophoclem (notante etiam Cic. de Pacuvio, Tusc. II. 21.): at hoc non derivandum a gladiatoriis ludis, sed causam habet in bellica Romanorum indole, qua indole etiam factum est, ut gladiatorum tantopere delectari possent certaminibus. Procul dubio vero illud non nocuit tragoediae Romanae: nam vir fortis, quem omni animi contentione videmus dolorem reprimere studere nec ita tamen eum vincere, quin in querelas interdum erumpere cogatur, aeque miserationem nostram excitat, quam qui misere lamentatur: certe Romani, qui ipsi constante, etsi non sedato, ut gladiatores, animo vulnera ac dolores perferre didicerant, non tulissent Ulixem aut Philoctetem flebiliter et immoderate eiulantem!

§. 6.

Quod *Köpkius* porro (Arch. p. 52.) monet, defuisse Romanis

4) Reipublicae tantum tempora in animo habeo.

5) Philoctetes Attii haec loquitur:

> Heu! quis salsis fluctibu' mandet (Anap.)
> Me ex sublimo vertice saxi?
> Iam iam absumor: conficit animam
> Vis volneris, ulceris aestus.

Ulixes in Pacuvii Niptris ita lamentatur:

> Pedetentim et sedato nisu
> Ne succussu arripiat maior
> Dolor. — (et reliqua). —

illud, quo ad colendas artes opus sit, *otium*, eo certe tempore, quo tragoedia primum Romae introducta fuerit, non magis, quam reliqua eius argumenta, verum mihi videtur. Quanquam enim Romani continua fere bella gerebant inde a primo usque ad tertium Punicum bellum, probe tamen tenendum est, haec bella non amplius de extrema urbis salute et in proxima vicinia gesta esse, ut ante devictam Italiam, sed suscepta ad gloriam patriae augendam et ad deprimendos subigendosque magnitudinis eius aemulos. Semel quidem Hannibalis expeditione in summum urbs discrimen vocabatur, sed postquam hanc calamitatem feliciter amoliti fuerant Romani, securi et partae gloriae sibi conscii in urbe vivebant, ludis et vitae iucunditatibus dediti [1]). Non aliter Athenienses post Persica bella genio suo indulgebant in urbe, cum bella contra socios et exteros populos nunquam intermitterentur (Thuc. I. 70.).

Denique *Planckius* (Prolegg. p. 36) id obstaculo fuisse putat tragoediae Romanae perfectioni, quod tragici accommodare sese debuerint populi consuetudini ac moribus, qui delectari tantum, non erudiri voluerit. Sed primum iam supra §. 1. negavi, Romani populi indolem ad solos iocos risusque proclivem natura fuisse: quod ex altera commentationis parte (§. 12.) clarius patebit; tum vero non video, cur tragicas res unquam attigerint Romani poetae, si cogerentur, ita eas populi amori attemperare, ut tragica omnis vis periret. Nam etsi omnium maxime dramatici poetae spectatorum applausus captare debent: tamen qui poetica indole instructi animum ad fabulas componendas appellunt nunquam populi gratia ipsas carminis virtutes delere volent, sed potius, dum videntur interdum ad incultorum spectatorum sensus sese applicare, ad altiora eos studebunt excitare [2]). Sin hoc autem

1) *Dunlop*, Hist. of Rom. Litt. I. p. 55. Classic. Journal, 1825. no. 61. p. 71. *Jacobs*, Nachtr. zu Sulzer, I. 3. »In Rom erschien die Zeit dieser Ruhe und des stillen Genusses nicht eher, als bis die Staaten Italiens zu Boden gedrückt, und die Küstenbewohner des Mittelländ. Meeres, durch die raschen Streiche des Röm. Kriegsgeistes, wo nicht verwundet, doch betäubt worden waren.« — Liv. XLV. 1. narrat Romanos, cum nuncius victoriae de Perseo reportatae afferretur, ludos modo spectasse, ex his vero laetabundos domum rediisse.

2) *Lessing*, Dramaturgie, I. p. 8.: »Selbst der dramatische Dichter, wenn er sich zu dem Pöbel herablässt, lässt sich nur darum zu ihm herab, um ihn zu erleuchten und zu bessern; nicht aber ihn

non patitur populus pro ruditate sua et stupore, omnino nullas, quas scenae committant, scribent fabulas.

§. 7.

Postquam in antecedentibus §§. demonstrare studuimus, non multum valere eorum VV. DD. argumenta, qui *a priori* (ita dicere mihi liceat) probare voluerunt, tragicos Romanorum poetas nil potuisse insigne in medium proferre: iam quaeramus, quales vere fuerint eorum tragoediae et quid ex his ipsis (quoad ex veterum testimoniis et fragmentis cognitas habemus) colligi possit de tragica Romanorum indole et de successu, quo etiam in hac poeseos parte Graecos imitati sint [1]).

Ac primum quidem hoc certum est, Romanos tragicos semper fere in tractandis *Graecis argumentis* versatos esse et paucissimas tantum scripsisse domesticas fabulas. Unde apparere dicit *Köpkius* (Translat. Plauti Germ. p. XLII. et N. Archiv. p. 49), Romanos novae alicuius, ad exempla Graeca non conformatae, tragoediae componendae destitutos fuisse facultate et solo imitationis studio ductos a Graecorum vestigiis se nunquam divellere potuisse. Sed videamus, annon fortasse certae extiterint causae, quae omnino cogerent Romanos, ut Graeca argumenta ab initio statim assumta etiam postea retinerent. Et mihi quidem ita visum est. Defuit nimirum Romanis epica poesis vel historia poetice tractata, qua opus erat, ut relictis Graecorum mythis domestica argumenta sibi sumere in animum inducere possent (*Jacobs*, Nachtr. zu Sulzer, IV. p. 334 sq.). Nam quid invitare eos poterat, ut amplam illam et tragicis argumentis refertissimam Graecorum mythologiam, quae insuper (ut mox ostendam) acceptissima esset populo, cum domesticis factis commutarent, quae neque antiquitus a poetis celebrata erant, neque tam largam aptamque ad tragoedias scribendas materiem praebebant, quam Graeci mythi? — Negavit quidem *Köpke* (Archiv, p. 50), Romanos caruisse antiquis epicis

---

in seinen Vorurtheilen, ihn in seiner unedeln Denkungsart zu bestärken.« — *A. W. Schlegel*, Vorles. I. p. 48 sq.: »Der dramatische Dichter muss mehr als ein anderer um äussere Gunst, um lauten Beifall buhlen. Aber billig soll er sich nur scheinbar zu seinen Zuhörern herablassen, in der That aber sie zu sich emporheben.«

1) Paucis attingam, quae supra iam proferenda erant.

carminibus: imo vestigia eorum deprehendi in Livii historiis, ubi facili negotio Saturnia metra dignosci possint. Et habet huius sententiae satis graves auctores, *Niebuhrium* (Röm. Gesch. I. p. 283—289) et *Fr. Schlegelium* (Gesch. der Litterat. I. p. 97 sqq.), quos multi praeterea secuti sunt [2]). Sed extra omnem dubitationem positum est ab aliis Viris Doctis [3]), Romanos ante Ennium nihil fere epici carminis habuisse. Nititur illa *Niebuhrii* opinio nonnullis tantum veterum locis (Cat. ap. Non. s. v. *assa voce* al.), ubi tamen nihil aliud narratur, nisi moris fuisse antiquissimis temporibus, ut in conviviis maiorum laudes aut assa voce aut ad tibiam decantarentur: unde profecto non sequitur, epica longioris ambitus carmina possedisse Romanos. Livio vero si ita nota fuissent illa antiqua poemata, ut in enarranda prisca Romae historia Saturnia adeo metra retinuisset, mirum esset, Ciceronem eorum interitum doluisse nec Livium unquam ea tanquam fontem afferre, ex quo ipse hauserit. Non dubium est igitur, ante Ennium res Romanas nondum poesi fuisse celebratas: et haec omnino erat causa, cur tragici Romani paene nunquam a Graecis argumentis discederent [4]); quod eo minus opus habebant, cum (uti dixi) populus ipse haudquaquam Graecorum fabulas sperneret. Contenderunt quidem multi VV. DD. [5]), Graecorum mythos et heroas,

---

2) Cf. Classic. Journ. 1825. no. 61.

3) *A. W. Schlegel* in Censura *Niebuhrii*, Heidelberg. Jahrbb. 1816. p. 837—842. *Solger*, Nachgelassene Schriften, p. 222. *Hegel*, Berl. Jahrbb. 1828. p. 417. *Dunlop*, Hist. of Rom. Litterat. I. p. 103—105. *Stieve*, de Orig. Rei Scen. ap. Rom. p. 35 sqq. *Henr. Thompson*, Classic. Journ. no. 61. p. 115. *Bernhardy*, Röm. Litteraturgesch. p. 71. not. 118. etc.

4) Epica enim poesis arctissime cohaeret cum tragica, et procul dubio Homerus plurimum contulit ad Graecae tragoediae perfectionem, cum heroum fata enarrans argumenta tragoedia dignissima iam tractasset et cuique heroi certos mores atque ingenium assignasset (cf. *Planck*, Prolegg. p. 15 sq. *A. W. Schlegel*, Vorles. I. p. 118 sq.). — Ne tamen ita putes epicam et tragicam poesin inter se coniunctam esse, ut in *diversis* etiam argumentis tragicus carere non possit epico poeta antecessore, utque Romani, licet Graecas fabulas tractarent, tamen et ipsi habere debuerint epicum poetam. Cf. quae hac de re contra *Badenium* disserui, §. 8. init.

5) *Herder*, über die Wirkung der Dichtkunst. B. IX. p. 404. *Jacobs*, Nachtr. zu Sulzer. I. p. 12. *A. W. Schlegel*, Vorles. über die dramat. Poesie. II. p. 20. *Fr. Schlegel*, Gesch. der Litterat. p. 104.

utpote peregrinos et diu ignotos, non admodum placere potuisse populo Romano, et peregrinam semper mansisse propter Graeca argumenta Romanorum tragoediam. At iure id iam negavit doctissimus *Lange*, Vind. trag. Rom. p. 12 sq., qui probare studuit, Romanos iam eo tempore, quo Graeca ars Romae introducta sit, familiaritatem quandam cum Graecis fabulis contraxisse. Sed cum admodum breviter id exposuerit, liceat mihi pauca hac de re addere [6]). Primum nemo ignorat, iam ab antiquissimis temporibus cognationem quandam inter Romanorum et Graecorum religiones intercessisse, et Iovis, Iunonis, Martis Vestaeque non solum cultum sed etiam nomina prorsus respondisse Graecis [7]): quod ex vetusta am-

---

Vir doctus in Allgem. Schulzeit. 1830. Abth. II. no. 73. p. 586 sq. *Planck*, Prolegg. ad Ennii Med. p. 31. *Bähr*, Röm. Litteraturgesch. p. 72. etc.

6) Non recte intellexisse mihi videtur Vir Clariss. *C. O. Müllerus* in libro de Etruscis II. p. 281. not. 1. *Langii* hac de re sententiam. Refellit enim *Langium*, quod persuaserit sibi, Romanos tragoediam ab Etruscis accepisse, cum ille tamen nihil aliud sibi voluerit, quam *mythos tragicos* (fabulas tragicas) per Etruscos Romam esse perlatos. In eundem errorem incidit Anglus, qui in Classic. Journal 1825. p. 75 sq., reticens *Langii* nomen, refutat illam opinionem, ex qua Etruscis Romani debuerint tragoediam suam. *Bernhardy* vero (Röm. Litteraturgesch. p. 171. not. 289.) vituperat *Langium*, quod gentium patriciarum mythos putaverit effecisse, ut Graeca tragoediarum argumenta domesticorum instar placerent. Hoc ut credat, desiderat accuratiorem expositionem et de indole fabularum gentiliciarum et de ratione, qua annales fabulas illas continentes etiam in populi notitiam venire potuerint. At *Langius* nullo modo ex his solis gentium Romanarum fabulis colligit, notos fuisse et acceptos populo Romano Graeciae mythos: sed ex Etruria censet Graecarum potissimum fabularum cognitionem cepisse Romanos. Accessisse hnc ait, quod et familiae Romanae iam Livii Andronici tempore multa ex suis ad Graecas origines referre coeperint. Itaque ex *Langii* sententia non opus erat, ut Graecas fabulas disceret populus a patriciis; sed mythos iam antea sibi notos referri videbant ad nobilissimarum gentium origines, et sic ipsa Graecorum mythologia magis accepta fieret Romanis necesse erat. Cum autem familiae Romanae in nummis ad fabulas illas respicerent, neque de indole earum neque de ratione, qua propagarentur, ambigi potest. — *Heysius*, censor Langii Vindic., Berl. Jahrbb. 1828. p. 478 sqq. non multum tribuit *Langii* sententiae de Graecis mythis iam per Etruscos cum Romanis communicatis. Sed vide quae hac de re exposui.

7) *Müller*, Etrusker I. p. 20. not. 26. II. p. 78. not. 137.

borum populorum affinitate derivandum esse constat. Tum vero non dubium, quin ex Sibyllinis libris, a Cumis Romam apportatis, multa ad Graecam mythologiam pertinentia fluxerint ad Romanos, ut de Aenea saltem optime demonstravit *C. O. Müllerus* [8]; cuius de adventu in Italiam fabula neque ita Graeca esse potest, ut inventa sit a Graeco aliquo homine ad exornandam et amplificandam Romanae civitatis historiam [9]), neque, ut vult *Niebuhrius* (Röm. Gesch. I. p. 209 sq.), Italicae putanda est originis, quod, cum certum sit Aeneam non venisse in Italiam, causa nulla possit excogitari, cur antiqui Italiae Pelasgi hunc potissimum eo delatum sibi finxerint. Praeterea audimns Aesculapium a. U. C. 461. iussu librorum Sibyllin. (Liv. X. 47.) Epidauro Romam arcessitum; nec dubium videtur, Apollinis cultnm illorum librorum suasu mature assnmtnm esse a Romanis, cum iam a. U. C. 321. aedes Apollinis pro civitatis salute vota esse narretur (Liv. IV. 25.). Sicuti vero hos ipsos libros Sibyllinos Romani debuisse videntur commercio, quod inter Tuscos ipsorum reges et Graecas Italiae urbes intercedebat (etenim Romam illi libri venisse dicuntur Tarquinio regnante, quem arctissimo vinculo coniunctum fuisse cum urbe Cumis etiam exinde liquet, quod Roma expulsus eo confugit): ita eos ex Tarquinii Prisci inde tempore ab ipsis Etruscis multos accepisse Graecos ritus ac mythos, quos, quantum fieri posset, ad suas religiones accommodarent, persuasissimum habeo. Satis enim demonstratnm est ab iis viris doctis, qui de rebus Etruscis egerunt, Tuscos non solum antiquitus propter Tyrrhenorum Pelasgicam originem Graecos nonnullos cultus habuisse (ut Iovis, Tinia ab Etruscis appellati, *Müller*, Etrusker, II. p. 43 sq.; Athenae, cum Tusca dea Minerva confusae, id. l. l. II. p. 48—51; Iunonis), sed recepisse etiam mature (praesertim cum ipsi mythologia heroica fere carerent) multos Graecorum mythos ac religiones, quas aut novas assumerent aut ad cognata Etruriae numina referrent et cum iis confunderent. Locupletissime hoc testantur et nummi et artis ipsorum opera, in quibus plerumque expressos videmus Graecorum deorum atque heroum mythos, ita tamen, ut, ubi nomina adscripta sint, ea aut plane Tusca sint aut ad Tuscam linguam quodammodo conformata: ex quo quisque in-

8) Classical Jonrnal no. 52. p. 308—318.

9) ibid. p. 312.

telligere potest, illos mythos non, ut ab initio fuerint, ita etiam mansisse peregrinos, sed in ipsius populi ora transiisse [10]). Sine dubio autem Etrusci iam ab antiquo inde tempore, scilicet ex quo mutuis cum Graecis iuncti commerciis artes eorum imitari coeperant, Graecos mythos cognoverant: quod demonstrat etiam fabula illa de Enchire et Eugrammo artificibus, qui una cum Demarato Corintho in Etruriam immigrasse dicuntur [11]). Cum igitur Tarquinius Priscus, dux ut videtur coloniae Tuscae, Romam venisset ibique regnum nactus esset, sicuti multa nova, ita etiam non pauca Graeca eo transtulit. Cogitemus nempe, Romanos usque huc deorum simulacris carentes tum primum statuis ab Etruscis artificibus confectis templa sua ornare coepisse [12]), cogitemus illos usque eo Tuscorum ritus recepisse, ut ex horum instituto [13]) Iovem, Iunonem et Minervam coniunctos in templo Capitolino colerent. Ita necesse erat, ut, quae Tusci a Graecis accepissent, ab his ad Romanos paullatim transirent. Quo accedit, quod etiam post eiectos ex urbe Tuscos reges nullo modo praecluderentur commercia, quae cum Etruria habebant Romani. Accipiebant vasa ab illis fabricata [14]), templaque fictilibus Etruscorum antefixis ornare pergebant. Tum etiam expugnatis Tuscis urbibus, Fidenis (328. U. C.), Veiis (358. U. C.), Volsiniis (487. U. C.), aliis, haud parva artis operum copia videtur Romam venisse, cum Plinius scribat [15]), Volsinios propter duo milia statuarum a Roma-

---

10) Cf. e. g. Graecos de Hephaesto mythos in pateris Tuscis ad deum aliquem Tuscum, qui Sethlans vocatur, translatos, *Lanzi Saggio*, T. II. t. 6. no. 1. Vide hac de re *Müllerum*, Etrusker II. p. 268 sqq. Eundem confer de nummis Populoniae disserentem, l. l. p. 331. — In vasis omnia fere nobilium heroum nomina paullulum leguntur immutata, ut Phulnike, Atresthe, Tute, Pultuke, Pherse al. De tragicis fabulis in cistis sepulcralibus effictis cf. quos laudat *Lange*, Vind. p. 12 sq. Praeterea conferas *Niebuhrium* (Röm. G. I. p. 150 sqq.), qui probabiliter coniicit, Graeca adeo carmina lectitata esse in Etruria.

11) *Müller*, Archäol. §. 177. 1.

12) Sicuti postea quoque per longum tempus Tuscis tantum operibus partim fictilibus partim ex ligno factis utebantur, Varro ap. Plin. XXXV. 45. cf. Plin. XXXIV. 16.

13) Cf. Serv. ad Virg. Aen. I. 422.

14) *Müller*, Etrusker, II. p. 243.

15) Plin. N. H. XXXIV. 16. »Signa quoque Tuscanica per terras disper-

nis expugnatos esse. Quae etsi (Plinio teste) non in delubris dicatae sunt, tamen Romam asportatae ibique in locis publicis positae videntur: ut auratae XII. deorum Consentum imagines, quas ad forum positas fuisse testatur Varro R. R. I. 1. — Ex his omnibus concludere licebit, Romanos, iam antequam cum Graecis Italiae inferioris bella gerere incepissent, a vicinis Etruscis bello ac pace didicisse Graecos mythos ac religiones. Et nonne ipsis illis temporibus, cum iamdiu Graecos cognoverant Romani, ex finitima Etruria Bacchi cultum Romam legimus translatum [16]? quis miretur igitur prisca illa aetate, qua maxima esset Etruscorum apud Romanos auctoritas, Graeca multa hinc Romam perlata? — Ipsis adeo nominibus, quae Graecis heroibus indiderunt Romani, quodammodo illud confirmatur: quorum nominum multa mirum in modum cum Tuscis consonant [17]. Sic Ulixes factum videtur ex Uluxe, Hercules ex Etrusc. Hercle, Pollux ex Pultuke; et Catamitus, quem Fest. s. v. pro Ganymede dictum refert, omnino originem ducere debet ab Etrusca aliqua voce, cum tenuis t pro d etiam in aliis vocibus ponatur ab Etruscis (Tute, Atresthe). Tum quod Quintil. Institut. I. 4. tradidit, in vetustis urbis operibus scriptum extare Alexanter, Cassantra, Culchides et Pulyxena, harum vocum Tuscam originem probat. — Nec non cum Italia inferiore bella gerentes Romani Graecos mythos videntur addidicisse [18], praesertim si reputes Graecorum sua ad Romanam civitatem transferendi studium. — Non facile igitur *Niebuhrio* aliquis assentiatur, qui primo Hist. Rom. tomo, sicut Aeneae fabulam, ita etiam Diomedis, Ulyssis aliorumque mythos in Italia Pelasgicae putat esse originis (p. 169. 207 etc.), quod propter

---

sa, quae in Etruria factitata esse non dubium. Deorum tantum putarem fuisse, ni Metrodorus Scepsius, cui cognomen a Romani nominis odio inditum est, propter duo milia statuarum Volsinios expugnatos obiiceret. Mirumque mihi videtur, cum statuarum origo tam vetus in Italia sit, ligna potius aut fictilia deorum simulacra in delubris dicata, usque ad devictam Asiam, unde luxuria.«

16) Liv. XXXIX. 9.

17) Et *Müllerum* vidi ita iudicasse, Etrusker, II. p. 279.

18) Athen. VI. p. 273. E. *ὅπερ ἐν τοῖς πάλαι χρόνοις ἐποίουν οἱ Ῥωμαῖοι· διαφυλάττοντες γὰρ ἅμα καὶ τὰ πάτρια μετῆγον παρὰ τῶν χειρωθέντων εἴ τι λείψανον καλῆς ἀσκήσεως εὕρισκον, τὰ ἄχρηστα ἐκείνοις ἐῶντες, ὅπως μηδ' εἰς ἀνάκτησιν ὧν ἀπέβαλον ἐλθεῖν ποτὲ δυνηθῶσι.*

multas causas non verisimile est. Haec omnia serius orta sunt, praecipue gentium patriciarum ambitione, quae cum semel Aeneam in Italiam putarent venisse, etiam reliquos Troiani belli heroas huc venisse facile sibi persuadebant, et gentium Romanarum auctores fuisse fingebant. Sic Mamilii oriundos se dicebant a Mamilia, Telegoni filia [19]); quae fabula mature quidem, sed non ante quam Tusculum, patria Mamiliorum urbs, a Telegono, Circes filio, conditum esse putaretur, orta est. In promtu est autem videre, quantum hae patriciorum fabulae conferre debuerint ad Graecos mythos populo acceptiores reddendos, quos iam propter Aeneam Romani nominis auctorem aeque ad ipsos atque ad Graecos spectare putaverant. Itaque neutiquam nova ac peregrina Romanis erat Graeca mythologia, cum Livius Andronicus primus tragoedias scenae committeret, etiamsi non singula quaeque ex Graecorum mythis et fabulis iis iam cognita fuisse per se pateat. Sed brevi puto factum esse, cum Latina illa Liv. Andronici Odysseae versione [20]), tum ipsis tragoediis, quas in theatro spectabant Romani, ut epicam Graecorum poesin, inprimis quatenus ad bellum Troianum spectaret, non aliter tenerent, ac si in ipsorum terra nata et exculta esset [21]). Itaque etiam post Annales ab Ennio compositos Romani tragici Graeca argumenta praetulerunt domesticis: quae insuper, utpote historica, non aeque apta erant ac mythi [22]). Praecipue vero Romani repetierunt fabularum argumenta e mythis ad

---

19) Fest. s. v. *Mamiliorum;* Dionys. Halic. Ant. R. IV. 45.

20) In scholis lectitabatur, *Bernhardy*, Röm. Litteraturgesch. p. 174. *Dunlop*, Hist. of Rom. Litt. I. p. 67.

21) Cf. *Baden*, de Caus. Negl. Tr., p. 34—36. — Hinc etiam patet in comparationem venire non posse recentiores populos: ii omnino debebant Graeca relinquere tragoediarum argumenta, quae ab initio tractaverant, quoniam propter religionum ac temporum diversitatem Graecorum mythi nunquam eandem vim apud eos habere poterant, quam apud Romanos. Moneo hoc *Köpkii* causa (Arch. p. 52.).

22) Sic etiam apud Graecos videmus historiam rarius in tragoedia tractatam. Cf. *A. W. Schlegel*, Vorles. I. p. 118 sqq. — De Rom. historia cf. *Dunlop*, History of Rom. Litter. I. p. 329 et 330. *Heyse* in Censura Langii, Berl. Jahrbb. 1828. p. 479 sq., qui recte monet poetis tragicis non ita licuisse variare historicas fabulas, quam Graecorum mythos, quia illae caruerint incerto et fluitante mythorum colore. Attamen historia Rom. non in universum tragicis argumentis putanda est non convenisse, ut *Heyse* censet.

Troianum bellum pertinentibus, rarius e cyclo Thebaico: certe conservati tragoediarum tituli docent, Oedipodem fabulam primum editam esse a C. Iulio Caesare Strabone, Antigonam vero, Bacchas et Amphitruonem ab Accio. — Vel sic tamen tragici Romanorum poetae non plane neglexerunt ipsorum historiam: a Pacuvio inde plura elegerunt domestica argumenta [23]), Ennii potissimum, ut videtur, in antiquioribus secuti annales. Difficile quidem est dictu, quid pretii his praetextatis constituendum sit; nec dubium videtur, quin etiam in his Romani multa debuerint Graecis. Sed successu eos non caruisse, vel ex Horatii verbis (Ep. ad Pis. v. 286 sqq.):

Nec minimum meruere decus vestigia Graeca
Ausi deserere et celebrare domestica facta.

concludere licet, nec ullo modo adstipulari possum *Badenio*, l. l. p. 37. *Planckio*, l. l. p. 35. aliis, qui historiae quam carmini similiores eas fuisse iudicant [24]), Horatiumque putant nil nisi sedulitatem poetarum Latinorum laudare voluisse. Sed cum hi Viri Docti nullis aliis argumentis hanc suam sententiam firmaverint, quam quod Romanos tragicos non putarent, quid sit tragoedia, perspicere potuisse, infra, ubi de ratione, qua Romani Graecorum tragoedias verterint, agemus, accuratius de praetextatis fabulis exponemus. *Köpkius* (Archiv, p. 49) non audet quidem indicta quasi causa Attii Pacuviique praetextatas damnare; sed tamen, cum paucae fuerint, recte sibi visus est iudicasse, Romanos tragica indole destitutos fuisse. Nonne vero, etiamsi paucae fuerint, probant id, quod negat *Köpkius*, Romanos nimirum suis viribus confisos Graecorum vestigia ausos esse deserere? Et, si verum est, quod supra de Graecorum ac Romanorum epica poesi disseruimus, nonne admirari debemus Romanos, qui, quanquam aptissimam Graecorum mythi suppeditarent tragoediarum materiem, tamen domesticas historias a nemine paene adhuc poetice tractatas attingere tragoediisque suis celebrare conarentur? —

Patet igitur ex solis fabularum argumentis iure non posse colligi, Romanos poetas tragoediae vim ac virtutem non habuisse

23) Cf. *Langium*, Vind. p. 14. Fallitur *Herderus* (über die Wirkung der Dichtkunst. B. IX. p. 402). Ennium dicens primum ex Romani populi historia desumsisse argumenta. Dubium tamen est, annon Naevius iam ante Pacuvium praetextatas scripserit. Cf. §. 8.

24) Quod de omnibus Romanorum tragoediis contendere videtur *Herderus* (Ursachen des gesunkenen Geschmacks. B. VII. p. 29).

perspectam. Sed antequam ad nova transeamus, breviter eos refellamus, qui aliis de causis ac nos tragicos Romanos domestica argumenta sprevisse statuerunt. Primum fuerunt, qui arbitrarentur, domestica facta in scenam producta partium studium facile excitare civitatemque perturbare potuisse: et ideo repudiata ea esse a Romanorum poetis [25]). At primum inde, quod nunquam audiamus statum reipublicae per illas Pacuvii Attiique praetextatas perturbatum esse, sequitur, non omnia domestica argumenta necessario ita fuisse comparata, ut factionum studium iis excitaretur et aleretur. Deinde vero causam mente non assequor, cur tragici poetae, qui nulla lege coerciti erant in eligendis fabularum argumentis, res domesticas intactas reliquissent unice propter turbarum metum; qui metus aediles deterrere poterat, quominus ederent fabulas, non poetas, quominus componerent. Praeterea ab Livii Andronici tempore usque ad Attium semper fere internus civitatis status tranquillus erat, ita ut antiqui certe tragici ne possent quidem vereri reipublicae perturbationem, si Romana argumenta tractarent. Ceterum negari non potest, Romanum populum solitum esse poetarum sententias ad praesens semper tempus referre, et hinc multo magis iis delectatum esse: de qua re classicus locus extat apud Cic. pro Sextio, c. 55. [26]). Sed id non minus locum habebat in Graecis fabularum argumentis, quam in domesticis (cf. pro Sext. c. 56 sq.). Neque inde turbae, sed applausus aut gemitus ortus. — Quod vero *Dunlop* (Hist. of Rom. Litt. I. p. 330) dicit, populum Rom. reges semper tanto odio habuisse, ut in scenam producti neque virtutibus admirationem neque infortuniis miserationem movere potuissent: id nec de omnibus regibus valet, et refutatur eo, quod in Attii Bruto Tarquinius Superbus productus est, quae tamen fabula etiam Ciceronis aetate magno cum applausu dabatur. — *Langius*, Vindic. p. 15., causam, cur tragici Romani tam raro res domesticas attigerint, inde repetendam arbitratur, quod noluerint ea quae publice acta essent levi histrio-

---

25) Ita *Baden*, de Caus. Negl. Tr. p. 38 sq. *Fr. Schlegel*, Gesch. d. Litt. I. p. 105. (cui assentitur *Heyse*, Censor Langii, Berl. Jahrbb. 1828. p. 480). *Dunlop*, Hist. of Rom. Litt. I. p. 329.

26) »Et quoniam facta mentio est ludorum, ne illud quidem praetermittam, in magna varietate sententiarum nullum unquam fuisse locum, in quo aliquid a poeta dictum cadere in tempus nostrum videretur, quod aut populum universum fugeret, aut non ipse exprimeret actor.«

num actioni committere, neque gravitatem rerum publice gestarum ad artes theatrales traducere. Opponere statim possumus *Langio*, quod ipse *Schlegelii* sententiae (p. 14 sq.), extare scilicet praetextas, quas nunquam accipimus ab hac parte Romanis offensioni fuisse. Id quidem non concessit Romanorum severitas poetis, ut Graecorum instar comicorum opprobrio lacesserent civitatis primores (ut ex Naevii in vincula et carcerem coniecti exemplo notum est); sed cur noluerint Romani maiores suos in tragoedia repraesentari, non assequor. Imo verisimile est, Attium in honorem amici sui Dec. Bruti composuisse Decium et Brutum fabulas (*Planck*, Prolegg. p. 34). Recte sane monuit *Lange*, Ciceronem excusare in senatu mentionem a se histrionum et ludorum factam; sed etiamsi non placeret in iudiciis ludos et histriones commemorari et ad eos provocari, tamen inde non sequitur, scenica arte non licuisse poetis maiorum facta celebrare.

§. 8.

Vidimus igitur in superiore §., ex peregrinis tragoediae Latinae *argumentis* non posse colligi, Romanos tragica indole caruisse ac solo imitandi studio ductos ad tragoedias componendas animum applicasse. Iam vero ad novam eamque graviorem quaestionem accedendum est, de ipsa tragoediarum Latinarum *compositione*. Si probari enim posset, quod multi VV. DD. contenderunt, Romanos tragicos aut serviliter e Graecis pependisse, verbis tantum verba reddere curantes, aut ubi ab iis discesserint, in peius mutasse exempla sua; tum et ego non dubitarem neglectam dicere Romanorum tragoediam et facile assentirer iis, qui Romanos *natura* a tragoedia abhorruisse censuerunt. Sed vehementer vereor, ne et hic tragoediae Latinae contemtores cupidius iudicaverint; itaque quid vere statuendum videatur de ratione, qua Graecos secuti sint Romani in adornanda tragoediarum compositione, fusius explicare studebo.

Badenius, l. l. p. 18 sqq. [1]) fingit sibi Romanos tragicos, cum primum accederent ad tragoedias scribendas, ita rudes et in-

1) Quem ut semper fere etiam hac in re sequitur *Planck*, Prolegg. p. 32 sqq. p. 44. — Cf. etiam *Ferd. Winkelmannum* (Arch. f. Phil. u. Päd. 1833. II. 4. p. 510 sq.), qui inter alia haec dicit: »sie (die Römer) begnügten sich die Stücke der griech. Tragödie in ungelenken sich ängstlich an die Originale anschliessenden Nachbildungen in Rom auf die Bühne zu bringen.«

cultos fuisse, ut magis fama et existimatione Graecorum operum permoti quam quod perspectam habuerint eorum vim ac virtutem vertere Graecas tragoedias apud animum suum constituerint. Continue demum exemplaria Graecorum intuendo ac vertendo incepisse eos sublimitatis, quam tragoedia sibi vindicet, sensum paullatim assumere: sed cum ipsorum ingenium iam acre et sublime fuerit, eos »intra iustos perfectae Sophocleae Euripideaeque tragoediae terminos vix se continuisse, sed eos plerumque praetulisse, quos similis error, impetus similis, dum humum vitarent, nubes et inania petere invitasset.« Hanc vitiosam trag. Rom. indolem *Badenius* dicit non solum ab Horatio (Ep. ad Pis. v. 230.) indicari, sed a serioris quoque aevi scriptoribus et paucis illis, quae supersunt, tragoediae Romanae monumentis satis indigitari. Praeterea Horatium (Ep. ad Pis. v. 91.) reprehendere putat tragicos Romanos propter orationem socco prope dignam minimeque tragicae severitati accommodatam. Ut paucis dicam, exulasse (p. 19.) ex vetere tragoedia Romana argumenti artificiosam tractationem, characterum sive morum ingeniosam inventionem et oppositionem, sermonis denique dignitatem auctoritati personarum fortunaeque earum convenientem. Quae vitia tamen omnia evitaturos fuisse credit (cf. p. 20—32.) Rom. tragicos, si epicum habuissent poetam »qui heroicae narrationis cum expositione tragica affinitatem monstraret vicesque tragico scriptori servandas et operis colores praescriberet,« sine quo neque virtutes tragoediae intelligere neque argumenta tragica artificiose tractare iis licuerit. Homerum enim respici ab iis non potuisse, quod libidine quadam tragoedias Graecas vertendi acti non intellexerint, quantum epica poesis tragoediam promoveat. Tandem sedato illo latine vertendi pruritu vidisse eos, ab epica poesi initia esse ducenda. Tum Virgilii epos plurimum iis profuisse: quippe qui primus demonstraverit, qua ratione »heroica nimis et tumidior et tumultuosior priscorum tragoedia moderanda ac mitiganda esset.« Ex hoc tempore tolerabiliorem et Graeco cothurno digniorem factam esse Romanorum tragoediam. — Haec omnia, quae de epicae poeseos virtutibus obscure et verbose, ut solet, *Badenius* exposuit, omitto, cum per se clarum sit, Romanos tragicos, si ex perfectis Graecorum tragoediis cognoscere non valuerint, quid cuique personae conveniat, id nec ex praestantissimo epico carmine intellecturos fuisse. Videamus potius, quo iure *Badenius* cum *Planckio* tam miseros Graecorum imitatores habeat Romanos, ut, ubi Graeca vestigia deserere ausi

fuerint, aut nubes et inania captaverint, aut dignitatem personis convenientem non satis servaverint. Testimonii loco affert *Badenius* duos illos laudatos Horatii locos et seriores bonos scriptores. Sed primum qui nexum illorum Horatii locorum considerat, videbit eum nentiquam respicere veteres Romanorum tragicos, sed in universum ea tangere vitia, in quae incidere *possit* tragicus poeta: ac potius ostendere velle tragoediae condendae difficultatem, quam certos homines carpere [2]). Ad quosnam vero seriores scriptores provocaverit *Baden*, qui idem dicant, quod Horatius, equidem nondum repperi [3]). Ii enim veterum loci, ubi vituperantur antiqui Romanorum tragici, v. c. Tac. Dial. c. 20. Pers. Sat. I. 76 sqq. Martial. XI. 91. 5., omnes spectant solummodo ad obsoletam priscorum tragicorum dictionem, quae sane molli illi post Augustum aetati non magnopere poterat placere, et eo magis reprehendenda videri debebat, quo insulsius multi Attii Pacuviique veterem dicendi rationem imitarentur. Contra in universum testimonia veterum ita comparata sunt, ut nisi quis praeoccupato ad ea accedat animo, intelligere debeat, Romanos summi fecisse non solum recentiorem Augustei aevi sed etiam antiquissimam illam Livii, Ennii, reliquorum tragoediam. Collatos vide Ovidii, Velleii, Quinctiliani, Gellii [4]) locos huc pertinentes apud *Langium*, Vindic. p. 5 sq. — De solo Horatio dubium esse possit, quid iudicii tulerit de tragoedia Romana, cum nonnullis locis tam acer eius sit censor, ut *Badenius* (p. 5 sq.) et *Planckius* (p. 32. alibi) [5]) eum nil laudasse putaverint nisi sollers tragicorum Romanorum

---

2) *Lange*, Vindic. p. 6.

3) Nec minus ignoro, quaenam sint illa pauca tragoediae Romanae monumenta, quae adducit *Badenius:* si Senecam intelligit, testimonium eius non agnosco, sin veterum tragg. fragmenta, ea contrarium probare contendo. Cf. infra.

4) Ovid. Amor. I. 15. 19 sq.

»Ennius arte carens animosique Accius oris,
Casurum nullo tempore nomen habent.«

Quint. Inst. Orat. X. 1. 97: Tragoediae scriptores veterum Attius atque Pacuvius clarissimi gravitate sententiarum, verborum pondere, auctoritate personarum. Ceterum nitor et summa in excolendis operibus manus magis videri potest temporibus quam ipsis defuisse. Virium tamen Attio plus tribuitur etc. Cf. Vell. Pat. I. 17. II. 9. Gell. I. 24. Tacit. Dial. c. 12.

5) Cf. *Bähr*, Gesch. der Röm. Litt. p. 72.

Graecos imitandi studium, praeterea vero eum tam veterem quam recentiorem suae aetatis tragoediam damnare. Sed qui accurate Horatii Epistolas inspexerit, neque sibi persuaserit ante, duobus illis supra commemoratis Horatii locis omnes reprehendi Romanorum tragicos: is intelliget, aliud omnino fuisse Horatii iudicium. Nam quod primum attinet ad *veteres* Latii tragicos, in quos acerbius invehitur Horat. Ep. II. 1. 50—90., ut iam monitum est a *Langio*, eos vituperat solummodo propter limae incuriam ac neglectum. Neque id fecisset, quippe qui aliis locis (Ep. ad Pis. v. 290 sq. et Ep. II. 1. 167.) admodum modeste vitium illud accuset, nisi causae externae eum movissent. Quae quales fuerint, optime ex ipso Horatio demonstravit Vir Eruditissimus *Manso*, qui in singulari commentatione, quae legitur in libro eius: »Vermischte Abhandlungen u. Aufsätze, p. 89—106.« docte egit de Horatii veterum poetarum censura. Scilicet prodiit Horatius tanquam propugnator ac defensor elegantioris et exactioris suae atque amicorum suorum poeseos, quae ab aequalibus prae nimio priscorum illorum poetarum studio et amore omnino negligebatur, neque eo, quo digna erat, pretio aestimabatur. Ut recentiorum igitur poetarum carminibus denegatum adhuc a plerisque favorem conciliaret, Horatius ostendit, quibus virtutibus haec antiquis illis praestarent, ac quam longe a perfecto abessent ea, in quibus ipsi admiratores concedere deberent, multa *nimis antique*, multa etiam *dure* dicta esse [6]). Contra *Mansonem* nuper disputavit Vir Cl. *Weichertus* in Comment. de Hor. Obtrectatoribus, magna doctrinae copia referta (quae denuo typis excusa est in libro eius, qui inscribitur: »Poetarum Latinorum Hostii etc. etc. Reliquiae, 1830.« p. 270—330). Is in eo quidem non recedit a *Mansone*, quod Hor. nullo ductus odio veteres poetas exagitaverit: sed non eandem, quam *Manso*, statuit fuisse externam causam, quae eum impulerit, ut illos impugnaret. Contendit enim, Horatium malignitate obtrectatorum suorum, Pantilii, Hermogenis, Demetrii, Fannii, qui aegre id tulissent, quod Lucilium, Satirarum scriptorem, gravius reprehendisset (Sat. I. 10.), ita exacerbatum esse, ut vituperium suum latius extenderet et quidquid in veterum poetarum operibus vituperandum ei videretur studiosius conquireret atque ad confutandos istos veterum amatores proferret. Sed fallitur Vir Doctissimus. Nam quanquam negari nequit, Horatium saepius

6) Achill. Stat. ad Ep. ad Pis. v. 55.

istos, quos commemoravimus, carminum suorum obtrectatores, Pantilium etc., utpote qui livido dente eum arroderent, notasse eosque etiam in numero eorum fuisse, qui Lucilii satiras Horatianis anteponerent: tamen non talium hominum gratia Horatium vetustissimorum Romae vatum gloriam et laudem imminuturum fuisse, mihi quidem certum est. Cf. quae in eandem sententiam dixit *G. H. Bode* in Censura *Weicherti* [7]. Illos pusilli animi homines potius irrisit Horatius quam impugnavit. Partim erant viles et contemti poetae, ut Fannius et Pantilius, quos exasperaverat ille, quod neque mala eorum carmina laudibus extollere neque recitationibus publice ab iis institutis interesse voluerat [8]; partim cantores insulsissimi, ut Demetrius et Hermogenes Tigellius, qui ne Graecos quidem legerant comicos, nil docti cantare praeter Calvum et Catullum [9]. Tales homines non bilem sed risum tantum Horatii movere poterant; ipse dicit se facile blandiendo eos sibi conciliare posse (Ep. I. 19.), sed satius ducere a paucis lecti-

7) Gött. gel. Anzz., Jahrg. 1833. St. 26 u. 27.

8) Cf. Hor. Ep. I. 19. *Manso*, Vermischte Abhandlungen, p. 65. — Hunc coram maiore hominum coetu recitandi morem, quem Hor. propter abusum (Sat. I. 4. 74 sqq.) tantopere spernebat, contendo adversus *Thorbeckium*, de Asin. Poll. p. 104 sqq. et, qui eum secuti sunt, *Weberum* de poett. Rom. Recitationibus, p. 4., *Bährium*, Gesch. der Röm. Litt. p. 36., ab Asinio demum Pollione institutum esse. Hi VV. DD. verba Senecae (Controvers. IV. p. 440 sq.) »Primus enim omnium Romanorum advocatis hominibus scripta sua recitavit« ita intelligunt, ut primum fuisse statuant Asinium, qui *sollemni formula* ad recitationes plures homines vocasset, cum iam ante et *publicae* et privatae inter amicos recitationes usitatae fuerint. — At causa ipsa, propter quam ita explicanda putat *Thorbeckius* verba Senecae, mihi non sufficit. Dicit enim, Asinium Pollionem demum post Dalmaticum triumphum literis incepisse vacare, quo tempore, uti appareat ex Hor. Sat. I. 4. ante a. U. C. 717. composita, frequentissimae iam fuerint publicae illae recitationes. Sed non memor erat Virgilii Eclog. VIII. et III., in quibus Eclogis licet ante illum triumphum scriptis celebratur tamen tragica Pollionis Musa: unde sequitur eum iam ante expeditionem Dalmaticam et scripsisse et publicasse tragoedias. Praeterea multo verisimilius est, primum homines advocatos convenisse ad recitationes, et tum etiam multitudinem admissam esse, quam e contrario. *Advocatio* plurium hominum transitum videtur parasse a privatis amicorum recitationibus ad publicas in foro et theatris.

9) Cf. de Hermogene Cic. Ep. ad Div. VII. 24.

tari, quam per illorum operam apud insipientes aliquos homines gloriam nancisci. Ubi mentionem eorum iniicit, tam contemtim de iis loquitur, ut ne iudicium quidem de Lucilio ab ipso latum contra *illos* tam accurate in Sat. I. 10. defendisse, nedum eorum gratia antiquos Latii poetas perstrinxisse censendus sit. Quid? quod Horatius in ea epistola, quam ex *Weicherti* (l. l. p. 317.) sententia hunc in finem scripserat, ut illos carminum suorum detrectatores ulcisceretur, atque praeposterum eorum de veteribus Latii poetis iudicium refelleret, omnino eos non commemorat? Non puto Horatium, si fieri potuisset, ut istorum hominum cavillationibus exacerbatus vituperium suum a Lucilio ad omnes veteres poetas extenderet, iram ita repressurum fuisse ut quos antea quavis occasione oblata sale suo Satirico perfricuerat hic ne appellaret quidem. Nam *critici*, quos v. 51. leviter notat Horatius, sine dubio sunt Grammatici, qui inter adversarios recentiorum poetarum primum locum obtinebant, cum pueros instituentes in explicandis veteribus poetis maxime versarentur neque facile moveri possent, ut hos novis postponerent. Quibus eo magis veterum poetarum vitia detegere et virtutes novae scholae ostendere debebat, quo instructiores illi essent doctrina et quo maior eorum esset etiam apud eruditos auctoritas. Concederem tamen Horatium etiam Fannii, Pantilii, Baevii obtrectationibus motum fuisse, ut veteres poetas perstringeret, si his malis poetis ulla cum veteribus intercessisset similitudo praeter obsoletarum vocum aucupium [10]). Sed cum in hoc antiquorum verborum studio tota eorum poetica facultas posita fuisse videatur neque veterum poetarum admiratores carminibus suis in opinione illa praeiudicata confirmare, neque Virgilio, Horatio, reliquisque auctoritate sua officere poterant. Horum igitur versificatorum obtrectationes contemnere debebat Horatius et summam ei iniuriam faceremus, si cum *Weicherto* statueremus, illos in causa fuisse, ut priscorum poetarum vitia percenseret.

Quantum vero abfuerit Horatius, ut in universum tragicos veteres nihili aestimaret, id videre licet ex duobus quoque in Epistolis locis, ubi etiam quae laudanda sint in illis non omisit commemorare; vide Ep. II. 1. 164 sqq.:

Tentavit quoque rem, si digne vertere posset;
Et placuit sibi natura sublimis et acer;

10) Schol. Cruq. ad Epod. X. I. Suet. Oct. c. 86.

Nam spirat tragicum satis et feliciter audet;
Sed turpem putat inscite metuitque lituram.

et Ep. ad Pis. v. 285—90.:

Nil intentatum nostri liquere poetae:
Nec minimum meruere decus vestigia Graeca
Ausi deserere, et celebrare domestica facta,
Vel qui praetextas vel qui docuere togatas.
Nec virtute foret clarisve potentius armis
Quam lingua Latium, si non offenderet unum-
Quemque Poetarum limae labor et mora.

Feliciter igitur tragicos Romanos imitatos esse Graecorum exemplaria ipse agnoscit Horatius, sed emendata eorum poemata esse et limatioribus praeponenda negat. Quanquam et haec dictionis illorum durities non minus ipsis temporibus quam limae neglectui tribuenda esse videtur: ut recte iudicaverunt Quintil. X. 1. p. 97. Macrob. Sat. VI. 3. Primi enim erant Livius, Naevius, Ennius, rel., qui Graecae poeseos elegantias rudi adhuc et inculta Romanorum lingua reddere conarentur: qua in re quantis cum difficultatibus luctandum iis fuerit, per se apparet. Summa autem opera eos id enisos esse, ut linguae duritiem, quantum fieri posset, emollirent et emendarent, cognosces si Ennii fragmenta cum Livii, Accii vero cum Ennii fragmentis comparaveris [11]. Praeterea non negligendum (quod *Lange* Vind. p. 6. monet), tragicos veteres non solos exagitari ab Horatio, sed in severiorem adeo eius censuram incurrere comicos (Ep. II. 1. 57—60; 170 sqq. Ep. ad Pis. v. 270 sqq.), cum propter dictionis metrorumque negligentiam tum propter ipsius argumenti tractationem. Itidem Quint. X. 1. 99—100. et Gell. II. 23. comoediae minus pretium videntur constituisse quam tragoediae. Quod admirantibus nobis Plauti Terentiique fabulas (qui ne optimi quidem hoc in genere videntur fuisse) non potest non admodum commendare deperdita tragg. Romanorum opera [12].

Cum veteres vero tragicos non ab omni parte laudare posset Horatius, Vario contra et Pollioni, qui ipsius aetate vivebant, laudem semper et honorem tribuit (cf. Sat. I. 10. 42. Od. I. 6. 8.). Unde non intelligo, quid voluerit sibi *Badenius* (p. 5 sq.),

11) Cf. infra. — *Stieglitz*, de Pacuvii Duloreste, p. 7.

12) *A. W. Schlegel*, Vorles. II. p. 16.

cum dicat Horatium nec sui temporis tragicos magni fecisse, et ideo tantum reprehensionibus suis laudes nonnullas immiscuisse, ne omnia iniquus in suis carpere videretur. At nullus reperitur apud Horatium locus, ubi tragicus aliquis illius aevi a poeta diserte reprehendatur; itaque laudes illas, quas Vario ac Pollioni impertit, ex vera animi sui sententia iis tribuit. Et ipse sibi contradicit *Baden*, quippe cum p. 31 sqq., non solum aliorum scriptorum sed ipsius etiam Horatii testimoniis nisus, tolerabiliorem Graecoque cothurno digniorem factam esse Augusti aetate Romanam tragoediam largiatur; et contendat adeo, Horatium in Ep. ad Pis. v. 96., ubi *laudet* fabulas Telephum et Pelea, respexisse duas fabulas Augusteo aevo compositas; ibidem vero v. 104., ubi *vituperet* easdem, cognomines duas ex antiquiore Naevii aut Ennii saeculo in animo habuisse. Quanquam Horat. de certis fabulis ibi ne cogitasse quidem videtur.

Omnium vero maxime Romanorum scriptorum Cicero veterum tragicorum laudem celebravit [13]). Qui cum multo minus quam Horatius in illa vetustorum poetarum duritie et dictionis aerugine offenderet, quavis occasione oblata lectionem eorum commendat versusque ex eorum fabulis desumtos tanquam ornamentum orationi inserit [14]). Non possumus quidem omnino assentiri Ciceroni, si nimio patriarum literarum amore ductus Romanos in poesi vel aequiparandos vel praeferendos putat Graecis [15]): tamen quod ipse ita iudicare auderet, cum Graecorum opera optime novisset, testimonio esse potest, cum totam Romanorum poesin tum tragoediam non indignam fuisse Graecis praeceptoribus et propria quadam ingenii vi excelluisse. Quod ut luculentius appareat, et quam diversa fuerit ut ostendatur tragoediarum Latinarum conformatio ab ea, quam Viri supra memorati sibi finxerunt animo, seorsim mihi agere proposui de praestantissimorum tragicorum fabulis earumque indole, adhibitis, ut consentaneum est, tum veterum testimoniis, tum

13) Cf. pro Muren. c. 14. de Orat. III. 7. de Fin. I. 2. etc. etc.

14) Rhetor. ad Herenn. IV. 2. Quint. I. 8.

15) Tusc. Disput. I. 1. — Cf. Lil. Gyrald. Dial. de Hist. Poet. VIII. p. 411.: »Non ausim hoc loco id dicere quod M. Tullius in Tusc. I. 1. omnia nostros aut invenisse per se sapientius quam Graecos aut accepta ab illis fecisse meliora; sed id dicam tamen, nostra non indigna esse, quae sua gravitate cum eorum arguta levitate et illecebra conferantur.«

paucis illis, quae temporum iniuriae ereptae sunt, ipsarum tragoediarum laciniis. Ordiar ab Livio Andronico et quomodo a tenuibus eius conaminibus ad altiora assurrexerit tragica Romanorum Musa breviter exponere adnitar.

Livius Andronicus [16]) hanc potissimum sibi vindicat laudem, quod primus erat, qui Romanorum animos ad perfectam Graeco-

16) Cum de vita omnium fere veterum tragicorum multa adhuc minus recte sint constituta, liceat mihi quae de singulis monenda habeo in adnotationibus paucis indicare. Quod ad Liv. Andronicum attinet, iam ab Osanno Anall. Critt. p. 24 sqq. probabiliter demonstratum est, natum eum fuisse Tarenti, et capta hac urbe a. 482. U. C. captivum Romam deductum. Ibi M. Salinatoris (cf. *Stieve,* de Rei Scen. ap. Rom. Orig. p. 75. *Bothe,* Fragm. Poett. Latt. Scen. p. 5. not.) liberos instituit et »ob ingenii meritum« ab eo libertate donatus est. Tum a. 514. U. C. (513?), ut videtur, primam fabulam edidit (ita Cic. Brut. c. 18. ex antiquis commentariis, cf. Cic. Cat. Mai. XIV. 50. Tusc. Disp. I. 1. 3. ibique *Kühner,* coll. Osanno, Anall. Critt. p. 40; Gell. XVII. 21.). Minus accurate Cassiod. chron. T. I. p. 383. Attii vero errorem, qui primam ab Andronico fabulam editam putaverat C. Cornel. Q. Minutio Coss. i. e. a. 557. U. C., satis refutavit Cic. Brut. l. l. Facile autem intelligi potest, qua via Attius in errorem inductus sit. Audiverat enim Livium *capto Tarento* Romam venisse; audiverat eum *M. Salinatoris* liberos erudivisse; cogitans vero de Tarento per Q. Maximum (a. 545. U. C.) expugnato ac sciens Salinatorem 536 et 547. U. C. consulem fuisse et Asdrubalem Senensi proelio (a. 547. U. C., Liv. XXVII. 46.) vicisse, tum Livium putabat floruisse: qua in re confirmabatur narratione illa, secundum quam a. 546. U. C. Livius carmen condidisset virginibus canendum. Neque seniores Attius facere sibi videbatur Plautum et Ennium Livio, cum illum sciret a. 570. U. C. hunc a. 595. mortuum. *Langius* quidem (Vind. p. 22. not. 29.) aliter explicare studet, qua ratione in errorem inciderit: nimirum quod scripserit Valer. Antias (Livio XXXVI. 36. testante) a. 563. in honorem Magnae Matris primos scenicos ludos celebratos esse. Sed fallitur Vir Doctissimus: nam dicit Liv. Valerium auctorem esse, ludos illos primos fuisse scenicos *Megalesia* appellatos, primos igitur ludos Megalenses, non in universum ludos scenicos. Tamen et haec Valerii sententia falsa est: nam Liv. XXXIV. 54. narrat anno iam 560. Megalesia, ludos scenicos, primum facta esse. Sed vidimus quo alio pacto falli potuerit Attius, etiamsi non ita multo post Livium viveret: unde ab hac parte non opus sit Osanni correctione, qui in Analect. Critt. p. 61 — 67. pro *Attio* apud Cic. Brut. l. l. multisque aliis veterum locis emendandum censet *Ateium* (philologum) negatque omnino Didascalica Attium scripsisse. Sed omnia reliqua quoque eius argumenta (quod doleo me

rum poesin adverteret, opera in vertendis Graecorum poematis collocata: qua ex parte etiam a veteribus semper laudatur [17]**.**

---

fusius hic explicare non posse) nullius pretii sunt et hinc adstipulor *Langio* (Vind. p. 3. not. 4.) ab Attio censenti didascalicon libros profectos esse, in quibus etiam de Livio Andron. expositum fuerit. — Ceterum non omnes veteres secutos esse Cic. rationes, ostendit Hieron. in Euseb. Chron., qui Ol. CXLVIII. 1. i. e. a. 570. U. C. floruisse Livium refert. — Nodum in scirpo quaerit *Stieve*, l. l. p. 76.: qui quanquam a. 513. (ut *Harles* quoque, Introd. in Not. Litt. p. 169. *Hamberger*, Zuverlässige Nachr. I. p. 362. *Osann*, l. l. p. 39 sqq. *Lange*, l. l. p. 4. not. 5.) statuat primam a Livio datam esse fabulam, tamen hunc annum non convenire putat cum aetate Catonis, quem Cic. Cat. Mai. c. 14. septem annis post natum esse scribit. Ex Corn. enim Nepote (Cat. c. 1.) et ex Plutarcho (Cat. c. 2.) computari posse dicit, Catonem a. 528. U. C. natum esse et hinc sequi Livium a. 521. primam fabulam edidisse. Sed Corn. Nep. l. l. non a. 545. (ut *Stieve* autumat) sed a. 540. Coss. Q. Fabio M. Claudio Catonem 17. annos natum refert cum Q. Fabio prima stipendia meruisse, quod non omnino quidem rectum est, sed quomodo ortum sit, intelligitur ex Cic. Cat. Mai. c. 4., ubi Cato dicit, se adolescentulum militem cum Fabio IV. consule ad Capuam profectum esse (a. 540., quo anno 20. annos natus erat Cato). Ex eodem fortasse fonte derivandum est, quod Plut. κομιδῇ μειράκιον ὄντα militasse dicit Catonem cum Fabio V. consule (a. 545. U. C.), cum eum, quem Cic. adolescentulum a. 540. vocaret, non dubitaret μειράκιον dicere a. 545. Notum est autem adolescentes apud Rom. saepe dici, qui trigesimum iam excesserunt aetatis annum. — Inde etiam de tempore, quo mortuus sit Livius, aliquid saltem definiri potest. Cato enim ap. Cic. Cat. Mai. c. 14. Livium narrat ad suam usque *adolescentiam* processisse aetate. Quodsi vocis adolescentiae notionem hic latius patere accipimus, Catonemque natum statuimus a. 520. U. C., non est, cur negemus Livium usque ad annum 546. vixisse, quo anno Liv. XXVII. 37. carmen ab eo compositum dicit virginibus decantandum: quod iam antea ab eo conditum fuisse, ut multi censuerunt (v. c. *Dunlop*, Hist. of Rom. Litt. I. p. 63.) minime verisimile est tum propter verba Livii XXXI. 12. s. fin., tum propter Festi locum s. v. *scribas*, ubi ita dicitur: »cum Liv. Andron. bello Punico Secundo scripsisset carmen.« *Osann* Anall. Critt. p. 28. totam rem confundit, cum Ciceronem (Cat. c. 14.) scribere putaret, Catonem septem annis *ante* quam Liv. primam fabulam edidisset, natum esse. Hinc falso concludit Livium non ultra a. 540. vixisse.

17) Cic. Brut. 18. 72. Cato Mai. 14. 50. Gell. N. A. XVII. 21. Liv. VII. 2. Valer. II. 4. 4. et alii multi. Vide *Osanni* Anall. Critt. p. 9.

Sed hanc ipsam ob causam, quod primus Romanorum poeta erat, ante quem nec epicus nec lyricus nec dramaticus extitisset, fieri non potuit, quin et ad externam et ad internam carminum conformationem admodum parva faceret poeseos initia. Nam cum lingua inculta adhuc iaceret nec alii metro accommodata esset, quam rudi illi Saturnio versui, omnes eae difficultates obiectae Livio erant, quae maxime poetarum studium retardant quaeque unius viri opera nunquam superari possunt [18]). Hinc Cic. Brut. 18. 72. non dignas iudicat Livianas fabulas, quae iterum legantur, comparatque illas cum Daedali aliquo rudi et incomto opere: atque ipse Ennius in eorum numerum Livium refert [19]), » qui nec Musarum scopulos superarant nec dicti studiosi erant. « Neque ullo loco, ubi sermo est de summis Romanorum tragicis, Livii nomen adiicitur [20]): ita ut nulla nisi inventi operis laus ab antiquis ei tribuatur. Sed ut nihil inventum simul et perfectum est, ita de Livio moderate debemus iudicare [21]). Minime vero censendus est fama tantum et existimatione permotus Graecarum tragoediarum, quippe quas ipse non satis intellexerit, vertendi eas consilium cepisse (quod de omnibus veteribus Romanorum tragicis *Badenium* vidimus contendisse). Imo cum Graecus esset natione et quidem ex urbe Tarento oriundus, ubi constat summopere tum floruisse artem scenicam [22]), pro certo affirmari potest, optime eum perspexisse Graecae tragoediae indolem et virtutes, et hac ipsa de causa Graecorum opera in Latinam linguam convertenda sibi sumsisse [23]). Sed procul dubio in transferendis Aeschyli, Sophoclis, Euripidis, Chaeremonis aliorumque tragoediis non multum discedebat ab exemplaribus suis, cum linguae difficultatibus impeditus haud parva iam praestitisse sibi videri deberet, si amplos

18) *Funccius*, de Adolesc. L. L. p. 44.

19) Cic. Brut. 18. Vide etiam Quintil. Inst. Or. X. 2. — Ennius quidem l. l. Naevium quoque in vatibus Faunisque numerat, sed ut Cic. Brut. c. 19. notat, iniuria.

20) Cic. de Or. III. 7. Cic. Acad. Post. I. 3. de Fin. I. 2.

21) *Harles*, Introductio in Not. Litterat. Rom. p. 170 sq. *Funccius*, de Adolesc. L. L. p. 64.

22) Cf. *Heynii* Opusc. Academica, Tom. II. p. 226.

23) Quod tanquam macula ei adspersa semper fere notatur, *libertum* scil. eum fuisse, id nihil omnino valet, cum nesciamus, quo loco natus fuerit in *patria urbe*.

Graecorum thesauros Romanis aperuisset[24]). Dolendum est omnia fere eius fragmenta, quae servata nobis sunt, desumta esse ex tragoediis, quarum Graeca quoque prototypa non amplius habemus; ita ut comparare ea cum Graecis non possimus. Unum tantum superest ex Helena fragmentum [25]), quod, si recte suspicatus est *Delrio* Livii Helenam translatam esse ex cognomini Euripidis fabula, aliquatenus fortasse indicare nobis potest eam, qua Liv. Graecos verterit, rationem. Verba Livii haec sunt:

. . . . Tu qui permensus ponti (venis?) *iamb. sen.* [26])
Maria alta velivola . . . .

Quae si conferre licet cum versu 876. Eurip. Hel., ubi Theonoe ad Menelaum dicit: *ὦ τλῆμον, οἵους διαφυγὼν ἦλθες πόνους*, apparet iam Livium non verba verbis serviliter reddidisse, sed in singulis Graeca mutare ausum esse, quod etiam ex fragmentis Odysseae concludi possit [27]). Attamen, ut dixi, tenuia tantum et aspera erant prima Livii conamina [28]): nec arbitror eius fabulas Ciceronis et Augusti adhuc aetate spectatas esse. Quod tum Horatii loco Ep. II. 1. 55 sqq. probatur, ubi Livius non memoratur in eorum tragicorum numero, quos cupide spectet Roma potens, tum locis nonnullis, quos affert *Lange*, Vindic. p. 6. [29]), et denique ipso illo Ciceronis loco, quo dicit, Livianas fabulas non dignas esse, quae iterum *legantur*. Itaque iure contendit *Osannus* l. l. Equum Troianum, quam fabulam a se spectatam scribit Cic. Ep. ad Fam. VII. 1., non Livii sed Naevii fabulam esse: quanquam in eo erravit, quod Livio abiudicat eiusdem nominis tragoediam [30]).

---

24) Togatas non scripsit; *Neukirch*, de fab. tog. Rom. p. 61 sqq. *Osann*, Analecta Critt. p. 44.

25) Macrob. Saturn. VI. 5.

26) Ita enim puto versus dispescendos esse, neque facio cum *Bothio*, qui metrum esse galliambicum (!) censet.

27) Cf. *Bothe*, Fragm. Livii Incerta, 35. 37. 39. al.

28) Comp. *Bernhardyum*, Röm. Litteraturgesch. p. 80.

29) Liv. XXVII. 37. »illa tempestate forsitan laudabile etc.« Cic. de Legg. II. 15. — *Bähr*, Röm. Litteraturgesch. §. 30. not. 3. praeterea citat Cic. de Amic. 15., qui locus non quadrat.

30) Recte obloquitur *Stieve*, l. l. p. 84 sqq. Sed idem praeter Naevium et Livium statuit etiam posteriores tragicos illius nominis fabulas scripsisse, et harum novissimam Ciceronis aetate edi solitam esse. Consentaneum enim esse, ne Naevii quidem fabulas amplius datas

At postquam semel Livius Andronicus aequalibus suis viam ineundam monstraverat et exemplo suo, quomodo Latina lingua Graecorum poesi accomodanda sit, ostenderat: non defuerunt Romanis summi ingenii viri, qui inchoatum opus strenue continuarent et non tam in vertendis, quam in imitandis Graecorum tragoediis studium suum defigerent. Qua in re maximam inter veteres tragicos laudem sibi conciliarunt Naevius, Ennius, Pacuvius et Attius. *Naevius* [31]) quidem maiorem multo comoediis quam tragoediis gloriam consecutus est [32]), cum non solum, ut Plautus

esse, si id acciderit Livianis, atque abhorrere a prisci illius temporis simplicitate, quod tria millia craterarum (Cic. ad Fam. VII. 1.) in equo Troiano appellata fuerint. At ambas has causas equidem non agnosco. Nam primum Naevii fabulae magnopere discrepabant a Livianis (ut videbimus), et tum, si Ciceronis tempore ter mille craterae in scena exponerentur, inde haudquaquam sequitur, in Naevii fabula certum earum numerum definitum fuisse. Quamobrem cum *Osanno* Naevianam illam habeo fabulam.

31) De vita eius pleraque iam in luce posita sunt. Quod pro certo tamen Viri Docti affirmare solent, eum Campanum fuisse, uno tantum nititur Gellii (I. 24.) loco: ubi quidem epitaphium eius plenum dicitur *Campanae* arrogantiae; sed ea optime proverbialis potest esse locutio. Nam et Cic. de lege Agrar. II. 33. de arrogantia Campana tanquam de re cuique nota loquitur: et alii scriptores saepissime Campanorum superbiam tangunt. Praeterea scrupulum mihi movet ipsum Naevii nomen: quod antiquissimum fuisse Romae, declarat Accius ille Naevius augur. Sed utut hoc est, certe errat *Bährius*, Litteraturgesch. p. 77. §. 29., cum Naevium »einen gebornen Griechen aus Kampanien« appellet. Nam ut ille non Romae, sed in Campania natus fuerit, non omnes tamen Campani Graeci erant, sed maior incolarum pars (ut demonstravit *Niebuhrius*, Hist. R. I. p. 117.) Osce loquebantur. — Mortuus est secundum Ciceronis Brut. c. 15. rationes a. 550. U. C., qui tamen ipse addit, Varronem paullo longius protrahere illius aetatem (ut *Hieronymus* quoque in Euseb. Chron. Ol. CXLIIII.). Cum vero teste Gellio XVII. 21. Naevius in primo Punico bello (non in *secundo*, ut perperam scribit *Köpke*, Prolegg. ad Plauti Vers. p. LI.) militasset et iam a. 519. (Gell. XVII. 21. cf. Gell. IV. 3.) primam fabulam edidisset, patet eum sexaginta amplius annos natum decessisse. — Ceterum de vita Naevii cf. Lil. Gyrald. Dial. VIII. p. 414. *Harles*, l. l. p. 172 sq.

32) *Hieronym.* in Euseb. Chron. Ol. CXLIIII. comicum tantum eum appellat; cf. Volcat. Sedigit. ap. Gell. XV. 24. *Planck*, Prolegg. p. 54. *Dunlop*, Hist. of Rom. Litt. I. p. 70.

et Terentius, recentiori Graecorum comoediae operam suam addixisset, sed feliciter etiam Aristophanis fabulas imitaretur, acriter summos civitatis viros perstringens [33]). Sed tragoediam quoque neutiquam neglexit, videturque inprimis Aeschyli, Euripidis et Anaxandridae fabulas tractandas sibi elegisse. Quas vertisse eum liberius Livio, non aliter exspectari potest a fervido eius ingenio, quod in comoediis scribendis tantopere iam a Graecorum vestigiis sese divellerat, et ubi non plane ab his discederet, saltem diversas fabulas inter se connectere et hinc illinc pulcherrima quaeque delibare audebat [34]). Quo accedit, quod haud vero absimile est, Naevium primum praetextatas scribere conatum esse: id quod non fecisset, nisi etiam in vertendis Graecis tragoediis magis iam propriis viribus uti didicisset. Composuit enim *Romulum* fabulam, quam quidem *Lange*, Vind. p. 14. not. 18. propter fragmentum apud Varronem (L. L. VII. 54.) sicut et *C. O. Müllerus* ad Varronem VII. 107. pro comoedia habuerunt: quae mihi vero praeeunte *Signorellio* (Storia critica de' teatri II. p. 21.) et *Neukirchio* (de fab. tog. p. 62.) [35]) propter ipsum titulum tragoedia videtur fuisse, cum neque fragmentum illud aliud quid innuat, quam pro *lana* Oscam vocem usurpatam esse a Naevio. Quae vero *Lycurgi* fragmenta a Nonio nobis servata sunt, licet comparari non possint cum Graeca fabula [36]), demonstrant saltem vim atque audaciam Naevii [37]), et poetam magis quam interpretem produnt. Itaque dubitari nequit, Naevium etiam in tragoediis suis Graecarum non tam verba et singulos versus accurate trans-

---

33) Errat *Planckius* (Prolegg. p. 30. not. 3.) cum Livium iam dicat primores civitatis comoediis suis carpsisse, Plautumque primum fuisse, qui a singulorum conviciis sese abstinuerit, contendat.

34) Cf. Ter. Andr. Prolog. v. 20., quem locum recte explicatum vide a *Planckio*, Prolegg. p. 48. not. Cf. Prolog. Heaut. v. 16—20.

35) Video *Ferd. Winckelmannum* quoque (Arch. f. Phil. u. Päd. 1833. II. 4. p. 512) ita iudicare.

36) Uno fortasse fragmento excepto (ap. Non. s. v. melos): »Suavisonum melos«, quod respondere videtur Lycurgi Aesch. fragmento, in quo insunt verba: »δακτυλόδεικτον μέλος« (*Naeke* Sched. critt. p. 24).

37) Cf. haec:
Non. s. v. angues: Alte iugatos angues in sese gerunt;
et Non. s. v. contendere: Contendas iram contra cum ira Liberi.
et alia multa.

ferre quam vim atque indolem proprio exprimere modo studuisse. Quare non sine causa *Stieglitzius*, de Pacuvii Dulor. p. 13. not. 31. proximam palmam Naevio tribuendam censet post Pacuvium et Attium. — Etiam oratio Naevii cum Livii sordibus comparata, magnopere iam emendata et novorum verborum copia ditata nobis debet videri [38]): ipseque Cic. Brut. c. 18. 19. satis hoc indicat, cum Livii Odysseam Daedali instar operis fuisse dicat, Naevii vero bellum Punicum tanquam Myronis opus delectare iudicet. Hinc, ut supra iam dixi, non abhorret a verisimilitudine, Ciceronis aetate Naevianas adhuc publice datas esse fabulas, cum Livianae iam diu a scena evanuissent: quod confirmatur etiam Horatianis verbis (Ep. II. 1. 53 sq.)

» Naevius in manibus non est, et in mentibus haeret
Paene recens. «

Plura quam de Livio et Naevio dici possunt de Ennio, Pacuvio, Attio. Hos enim tragoediae triumviros ita Romani scriptores suspicere solent, ut Graeci Aeschylum, Sophoclem et Euripidem; et Cicero inprimis ubicunque de tragoedia Romana universim loquitur, tres illos tanquam perfectissimos respicit. Sic in libro de Opt. Gen. Orat. VI. 18. vituperans eos, qui Latinas orationes postponant Graecis, cum iidem praestantissimas Latinas fabulas potius legant, quam Graecas, dicit: » Nec Andromacham (Ennii) aut Antiopam (Pacuvii) aut Epigonos Latinos (Attii) recipiant. Sed tamen Ennium et Pacuvium et Attium potius quam Euripidem et Sophoclem legunt. « Cf. Orat. c. 11. de Orat. III. 7. 27. (» Atqui id primum in poetis cerni licet, quibus est proxima cognatio cum oratoribus, quam sint inter sese Ennius, Pacuvius Acciusque dissimiles: quam apud Graecos Aeschylus, Sophocles, Euripides, quanquam omnibus par paene laus in dissimili scribendi genere tribuatur «). — De ratione vero, qua hi triumviri fuerint Graecos imitati, extat singularis Cic. locus, Acad. Post. I. 3. 10., ubi haec leguntur: » Quid enim causae est, cur poetas Latinos Graecis literis eruditi legant, philosophos non legant? An quia delectat Ennius, Pacuvius, Attius, multi alii, qui *non*

38) Cf. Gell. XIX. 7., ubi multa ab Naevio (v. Laevio) usurpata vocabula afferuntur, e. g. pudoricolor, nocticolor, dulcioriloquus etc. Vide *Funccium*, de Adol. L. L. p. 69 sq. — Quanquam etiam apud Naevium aspera multa et incomta, quae aevum designant, reperiuntur.

verba, sed *vim* Graecorum expresserunt poetarum? 39). « Cui quidem loco contradicere videtur alius, qui est in libr. de Fin. I. 2—3., ubi Cic. eos homines incusans, qui philosophiam nolint Latine scribi, hoc eo magis mirandum esse dicit, quod fabellas *ad verbum de Graecis* expressas non inviti legant, cum nemo tam inimicus paene sit homini Romano, qui Ennii Medeam aut Pacuvii Antiopam spernat aut reiiciat. *Stieglitzius* quidem de Pacuvii Dulor. p. 14. Ciceronem duobus illis allatis locis diversa tragoediarum Latinarum genera distinguere in animum induxit: sed qui cogitaverit Ciceronem in iis tragoediis, quas verbotenus de Graecis conversas dicit, etiam Ennii Medeam et Pacuvii Antiopam ponere, intelliget utroque illo loco easdem a Cicerone respici fabulas. Vel sic tamen non ipse sibi repugnat Cicero: *ad verbum* enim de Graecis expressas Latinas dicit fabulas respectu tantummodo habito philosophicarum disquisitionum, quae, ut res ipsa fert, multo magis quam fabulae a Graecorum exemplarium verbis discedere debebant. Quod *Planckius* quoque vidit, qui in Prolegg. p. 48. not. recte observat, voces » *ad verbum* « pertinere utique ad *generalem dramatis adornationem et elocutionem*, quam a Graecis mutuati fuerint Romani.

Ac de *Ennio* 40) quidem verissime Hieron. Columna ita iudicat: » Videtur aliquando poeta noster fidi interpretis officio fungi:

39) Valebunt igitur etiam in tragicos Latinos Horatii verba (Ep. ad Pis. v. 131.): »Publica materies privati iuris erit, si Nec circa vilem patulumque moraberis orbem; Nec verbum verbo curabis reddere fidus Interpres.«

40) De vita eius cf. inprimis *Hieronym. Column.* in Collect. Fragmm. Ennii et *Bernhardy* Röm. Litteraturgesch. p. 176. not. 301.). — Natus erat Rudiis, urbe prope Tarentum (unde Tarentinus vocatur ab *Hieronym.* in Euseb. Chron. Ol. CXXXV.) anno U. C. 515. (514.?); cf. Cic. Brut. c. 18. et *Wetzel* ad Cic. de Senect. c. 5. — A Catone Quaestore (a. 549. U. C.) e Sardinia Romam dicitur ductus esse (Corn. Nep. Cat. Mai. c. 1. Auct. de Vir. Illustr. c. 47.). In Sardinia autem (si fides est Silio Ital. Bell. Pun. XII. 392.) in exercitu Rom. centurio fuerat Ennius: ita ut eorum falsa sit opinio, qui captivum eum a Catone Romam adductum putarunt. Sed quomodo factum sit, ut Cato eum secum duxerit, difficile est dictu: nam quod Auct. de Vir. Illustr. l. l. refert, Catonem Graecam linguam ab eo edoctum esse in Sardinia, huic opinioni refragantur Cic. de Senect. c. 8. Acad. Prior. II. 2. 5. Quint. Inst. XII. 11. Valer. Max. VIII. 7. 1. Cornel. Nep. Cato. c. 3., ubi Cato dicitur

aliquando vero longius evagari, vel plura ex ingenio addendo, vel aliqua resecando, ut non mirum sit, si in plerisque Ennianis tragoediis, e Graecis conversis, quaedam habeantur, quibus nulla Graeca aut fere pauca verba respondeant, vel aliqua vix eiusdem sententiae non satis manifesta appareant vestigia.« Similiter *Scaliger* ad Varr. VII. §. 73. »In quibus vides, quid sibi permiserit Latinus poeta, qui non interpres, sed ne imitator quidem esse voluit. Ibi enim erravit Eurip., et hunc errorem animadvertens pro Sirio posuit temonem [41]).« Hinc minime audiendi sunt ii Viri Docti, qui Ennii fragmenta comparantes cum Euripidis fabulis (Euripidem enim [42]) et Aristarchum prae reliquis omnibus tragicis secutus est Ennius; cf. Isidorum apud *Dacierium* in adnot. ad Fest. s. v. prolato), ubicunque aliquid in illis invenirent, quod aut non haberet Graecus tragicus aut diversa saltem ratione expressum, statim inde argumentum petierunt aut duas fuisse tragoediae alicuius Graecae recensiones, quarum *prior* conversa fuerit a Latino poeta, aut menda aliqua inquinata esse Euripidis verba. Ita iam *Boeckhius* (Graecae Trag. Princ. p. 279) fragmentum aliquod ex Ennii Iphigenia desumtum (*Bothe* fragmm. p. 50) censebat prioris Euripideae fabulae recensionis verba referre. Tum vero maxime *Osannus* Anall. Critt. p. 79 sqq. [43]) ea omnia Medeae Ennianae fragmenta, quae cum nullo Euripideae tragoediae loco concinunt, ad priorem huius fabulae recensionem referre

admodum senex Graecas literas didicisse; neque »perspecto poetae ingenio« (ut *Funccius* credit, de Adol. L. L. p. 74.; cf. *Harles,* Introd. p. 187) Catonem secum adduxisse illum Romam, patet ex Cic. Tusc. I. 2., ubi Cato narratur tanquam probrum obiecisse Fulvio Nobiliori, quod Ennium comitem in provincia habuerit (a. 565.). Videtur igitur casu magis, quam quod poeticam eius indolem cognovisset, Romam eum duxisse. — Ii vero turpiter omnia miscent ac confundunt, qui Ennium prius in Aetolia militasse, quam in Sardiniam venisse statuunt (e. g. *Harles,* l. l. *Forcellini,* Lex. s. v.): non cogitant enim, Catonem quaestorem fuisse a. 549., Fulvium vero consulem, a. 565. U. C. — Scripsit post Naevium.

41) Cf. praeterea *Körnerum,* Praef. ad Eurip. Andr. p. XIII.

42) Causa cur Euripidis elegerit potissimum fabulas, posita fortasse est in utriusque philosophandi studio: quod et Ennii proprium fuisse tum Euhemerus eius tum fragmenta nonnulla tragoediarum edocent; cf. Cic. Tusc. Disp. II. 1. Varro, L. L. V. §. 63. Cic. de N. D. II. 2.

43) Quem secutus videtur *Dunlop,* Hist. of Rom. Litt. I. p. 83.

voluit. Sed recte iam oblocutus ei est *Pflugkius* in Praef. ad Eurip. Medeam, intelligens, Latinos poetas non ita in Graecorum exemplarium imitatione versatos esse, ut verbum verbo redderent, neque ab eo, quem ducem plerisque in rebus sequerentur, in aliis discedere fas ducerent. Nisi alia gravissima argumenta accedunt, quae duas fuisse fabulae alicuius editiones docent [44]), ex Ennianis fragmentis nihil colligi potest; imo si certo sciremus, fabulam aliquam Euripidis bis editam esse, tamen ubi Latinus poeta alia exhibet, quam quae in posteriore Gr. trag. editione reperimus, eum de suo potius putarem nova addidisse, quam priorem recensionem secutum esse. Nonne enim mirum esset, postposita emendatiore et exactiore fabulae editione, imitandam eum sibi proposuisse deteriorem, quam ipse Graecus poeta ita improbasset, ut denuo eam sibi sumeret tractandam? — Quamobrem nec Hecubam bis ab Euripide editam esse ex Ennii fragmentis *Osannum* puto recte conclusisse. Nec magis *Hermanno* assenserim, qui multis Hecubae Euripideae locis ex fragmentis Ennianae tragoediae conclusiones facit ad corrigenda emendandaque Graeca verba: quae tam libere interdum vertit vel potius imitatus est Ennius, ut paene ne similitudinem quidem habeant cum Latinis [45]). Metra quoque, praecipue in choricis cantibus (vide §. 1. not. 5.) magnopere immutavit Ennius: trochaicos inprimis adamavit rhythmos, quos et choricis carminibus adhibuit, et dialogis, ubi in Graecis fabulis iambis respondent [46]). — Denique non dubito, accuratiore fragmentorum Ennii consideratione ad liquidum perduci posse, quatenus et in adornandis singularum trag. personarum partibus Graecos duces deseruerit Ennius. Unum certe superest fragmentum ex Ennii Iphig. (ap. Gell. XIX. 10.), quod indicat chorum in hac fabula non ut apud Euripidem ex mulieribus, sed ex militibus constitisse; nam, ut vere monuit Vossius, verba illius

---

44) Id de Medea iure negavit *Pflugkius* l. l.

45) Cf. Fragm. ap. Prob. ad Virg. Eclog. VI. 31. coll. Eurip. Med. v. 1241 sqq.; — fragm. ap. Varr. L. L. V. 3. coll. Eurip. Hecub. v. 1077. (cf. *Osann* Anall. Critt. p. 136); fragm. ap. Gell. N. A. XI. 4. et quae *Körner* l. l. affert.

46) Iniuria igitur nonnulli statuerunt, Euripidem praeter nostram Medeam scripsisse alteram trochaicis versibus compositam: quod refutatur in Jen. Allg. Litteraturzeitung. 1813. p. 410. Cf. fragm. ap. Cic ad Fam. VII. 6.

fragmenti »neque domi nunc nec militiae sumus« unice militum choro conveniunt. — Praetextam tamen nullam scripsit, cum Scipio eius non tragoedia esset [47]), sed potius carmen, in quo laudes Scipionis decantatae erant, versibus trochaicis quadratis compositum. Neque etiam quod ad pretium tragoediis Ennii tribuendum attinet, quantum ex fragmentis cognoscere licet, anteponendum cum arbitror Naevio: quem quidem, ut consentaneum est, lingua cultiore et versibus concinnioribus (vide Cic. Orat. c. 45. 152.) antecelluit, audacia tamen poeseos ac verborum pondere neutiquam aequavit [48]). Sed peculiaribus virtutibus tragoediae, quas Ennius conscripsit, insignes erant atque immunes ab iis omnibus vitiis, quae supra vidimus tragoediae Romanae ab adversariis obiecta. Id quodvis fragmentum probare potest. Impertiit Ennius tragicis suis personis Romanam gravitatem ac severitatem, ut qui summorum virorum consuetudine ac belli societate non nomine solum, sed revera etiam civis Romanus factus esset: sed cum ita vi ac pondere sententiarum animos moveret ac percelleret [49]), nunquam tamen aut nubes et inania petiit aut molliores animi affectus oblitteravit [50]). Neque assentior *Bernhardyo* (Litteraturgesch. p. 83) ita de Ennio iudicanti: »die Farbe aber (ist) so willkürlich und vernachlässigt, dass wie im Epos Ungleichheiten geduldet wurden, so die Tragödie bis zur Planlosigkeit des täglichen Dialogs herabsank.« Ni fallor *Bernhardy* ad hoc iudicium perductus est duobus Cic. locis, Orat. c. 11. et 31., quorum in priore dicitur: »Ennio delector, ait quispiam, quod non discedit a communi more verborum,« in posteriore: »An ego Ho-

47) Ut recte intellexerunt *Lange*, p. 14. not. 18. *Scriver*, Collect. Veter. Tragg. p. 37. et *Neukirch*, de fab. tog. p. 62.

48) Si parens poeseos Romanae vocatur Ennius primusque dicitur coronam ex Helicone detulisse (Lucret. I. 118.): hoc unice intelligendum est de sermone eius comtiore, et de epica poesi, cuius auctor erat celebratissimus (Cic. de opt. gen. orat. I. 2. pro Balbo §. 51. de Orat. I. 45. 198.): adeo ut in Homeri comparationem veniret (Hor. Ep. II. 1. 50.).

49) Cf. Auct. ad Herenn. IV. 4. Horat. Sat. I. 4. 60.

50) Cf. Cic. Tusc. III. 19., ubi haec ex Ennio afferuntur:
Haec omnia vidi inflammari
Priamo vitam evitari,
Iovis aram sanguine turpari etc.
Compares sis praeterea quae *Langius*, Vindic. Tr. Lat. p. 19. laudat.

mero, Ennio, reliquis poetis, et maxime tragicis concederem, ut ne omnibus locis eadem contentione uterentur, crebroque mutarent, nonnunquam etiam ad quotidianum genus sermonis accederent. Ipse nunquam ab illa acerrima contentione discederem?« Sed altero loco nihil dicitur nisi Ennii scribendi genus proxime accedere ad eum verborum usum, qualis Ciceronis erat aetate: eum ita versatum esse in novandis rerum nominibus, ut vocabula ab eo usurpata etiam seriore tempore cuique facilia essent ad intelligendum (Hor. Ep. ad Pis. v. 56.): quod de reliquis veteribus tragicis non aeque dici potest. Altero vero loco non tantum de Ennio, sed de Homero etiam omnibusque reliquis magnis poetis sermo est, et quod Cic. monet, ad quotidianum eos interdum accedere dicendi genus, id nulli eorum opprobrio verti potest, cum poetae non semper ampullas et sesquipedalia verba proiicere, sed pro re ac tempore nonnunquam et variare debeant orationis colorem. Quanquam non dubium est, Ennium quoque Musarum scopulos nondum superavisse; nam versus eius licet facilius profluant et ad metrum quoque perfectiores sint, quam Livii et Naevii, tamen nonnunquam aut nimia eiusdem literae assiduitate displicent [51]), aut ut gravius ad aures cadant, omni singularum vocum iunctura carent, aut denique pro iambo et trochaeo ponderosos spondeos exhibent [52]). Quo accedunt antiquae illae vocabulorum flexiones, ut terrai frugiferai, Metieo Fufetio, quae etiam gravitate quadam insignes sunt, sed ab Augustei aevi elegantia aeque longe distant, quam Spartanorum dialectus ab Atheniensium lingua.

Omnes vero antecessores suos superaverunt Pacuvius atque Attius, quorum utri palma tribuenda esset ipsi iam veteres inter se dissensere [53]). Ambos non verba Graecorum expressisse, sed liberius versatos esse in imitandis illorum operibus, supra iam commemoravimus, Ciceronis testimonio usi: hic adiiciendum, non tantum in singulis eos verbis aut in effingendis tragoediae perso-

---

51) Auct. ad Herenn. IV. 12.

52) Quod in Accii etiam trimetris vituperat Horat. Ep. ad Pis. v. 258 sqq.

53) Horat. II. 1. 55. — Vellei. Paterc. (I. 17.) Accium videtur summum habuisse, in quo et circa quem Romanam fuisse tragoediam dicat. Utrumque vero Id. II. 9. in Graecorum usque ingeniorum comparationem evectum esse pronuntiat, Ennio quidem plus sanguinis, his vero limae plus tribuens.

narum moribus multa novasse [54]), sed totam etiam tragoediarum, quam vocant, oeconomiam haud raro immutasse et proprio modo instituisse. Hoc de una Pacuvii fabula, Duloreste, ex ipsis fragmentis locupletissime ostenderunt *Naekius* et *Stieglitzius:* quibus etsi in singulis non semper adstipulari possis, cum ingeniosius multa quam verius disputata sint, tamen id videntur evicisse, Pacuvium propriam in tractando Orestis mytho viam ingressum multis in rebus ab Eurip. Iphigeniae Tauricae, quam secutus est, conformatione non infeliciter discessisse [55]). Non hic quidem locus est, etiam in alias Pacuvii Attiique fabulas ita inquirere, sed est mihi persuasum, e reliquis quoque eorum fragmentis multa vestigia erui posse, quae liberiorem illam Graecas tractandi fabulas rationem clare prodant.

Caeterum *Pacuvius* [56]) a Varrone ap. Gell. VII. 14. *ubertatis* (quae continet dignitatem et amplitudinem) fuisse dicitur exemplum: quo eodem spectare videtur cognomen, quod nonnunquam ei tribuitur, *docti* [57]). Hoc minime enim referendum est ad doctam eius mythologiae cognitionem et philosophandi stu-

54) Cf. fragmentum ap. Cic. de Nat. Deor. II. 36., et quod §. 5. attuli, apud Ciceronem Tuscul. Disput. II. 21.

55) Cf. *Heysium* in Censura *Stieglitzii,* Berl. Jahrbb. 1828. p. 486—505.

56) Singularem de eo libellum conscripsit *Annib. di Leo* (Memorie di Pacuvio), qui tamen laudem eius nimium interdum exaggerat. Vide et *Stieglitzium,* de Pacuvii Duloreste. p. 3 sqq. — Natus est, ut patet ex Cic. Brut. c. 64., a. U. C. 534., *Brundusii.* Plin. N. H. XXXV. 4. ex Ennii sorore genitum eum dicit; *Hieronym.* vero in Chron. Euseb. Ol. 156. 4. appellat eum Ennii poetae *ex filia nepotem;* quae tamen verba aut spuria sunt (ut *Scaliger* iudicavit) aut errore orta, cum scribere vellet auctor *ex sorore nepotem* (quod Latinis idem est atque *ex sorore genitum.* Exempla huius loquendi rationis vide ap. *Forcell.* s. v. — Frequentissimum hunc vocis »*nepos*« usum in *vulgari* fuisse lingua, arguit Francogallorum »neveu,« Anglorum »nephew,« Italorum »nipoti«.) Ex filia nepos Ennii esse non poterat Pacuvius, quoniam Ennius natus erat 515. U. C. — Tarenti prope nonagenarius mortuus est, circiter a. 624. U. C. (*Hieron.* Chron. Euseb. Ol. 151. 3.). — Omnem eius aetatem misere confuderunt, qui duos fuisse Attios statuerunt (Collectionis Pisaur. Editor p. LI sq. *Forcell.* Lex. s. v. Attius. *Köpke,* Prolegg. ad Plauti Translat. Germanic. p. LVII sq.). Hi natum eum dicunt a. 510., obiisse autem a. 600. U. C. — Cf. quae infra (p. 49.) contra eos disserui.

57) Horat. Ep. II. 1. 55. Quintil. X. 1. 97.

dium [58]), ut *Stieglitzius* censebat, sed ad dictionis potius et sententiarum amplitudinem, quam et Gell. l. l. designat, et fragmenta satis ostendunt [59]). Pertinent huc audaces quoque verborum compositiones, quales sunt »repandirostrum, incurvicervicum« [60]), et periodi arte quadam compositae [61]), ornati denique et elaborati versus, propter quos a nonnullis summus habebatur tragicus poeta [62]). Quanta vero fuerit sententiarum gravitas et amplitudo, ex omnibus ac singulis eius fragmentis elucet, neque opus est, ut plura hic afferam [63]). Tamen Cic. Brut. c. 74. *male locutum* dicit Pacuvium, cum aetatis illius fuerit laus, tanquam innocentiae, sic Latine loquendi. Quod quidem opprobrium *Bernhardy* (Röm. Litteraturgesch. p. 81. not. 311.) ad dialogorum negligentiam trahit, *Stieglitzius* vero l. l. p. 7. rectius, opinor, de mendoso interpretatur singulorum verborum ac loquendi formularum usu: quae explicatio omnino necessaria est cum propter laudem, quae *periodis* Pacuvianis impertitur, tum propter ipsa ea verba, quae Cic. l. l. addit. Ait nimirum: »Sed omnes tum fere, qui nec extra urbem hanc vixerant, nec eos aliqua barbaries domestica infuscaverat, recte loquebantur.« Videtur igitur Pacuvius, utpote Brundusinus, non satis pure et emendate locutus esse, quo retulerim eiusmodi vocabula, quae ab eo solo usurpata affert Nonius (geminitudo, unosc) et terminationem genitivorum plur. in ûm nimis frequenter positam [64]). *Annibal di Leo* l. l. nihil aliud putat Pacuvio a Cicerone crimini verti, quam antiqua illa et a poetis primum ficta vocabula; sed tum Cicero non tam Pacuvium, quam omnes veteres poetas vituperare debebat.

---

58) Philosophiam non neglectam fuisse a Pacuvio videmus ex fragmento ap. Auct. ad Herenn. II. 23.

59) Similiter *Heyse*, l. l. p. 487.

60) Quint. I. 5. 70.

61) Cf. Auct. ad Herenn. IV. 4. 7. Fragment. ap. Non. s. v. icit. — Contortiores eius periodos tangit Lucilius (fragm. Sat. lib. XXIV. 63.). Cf. quae hac de re exposuit *Weichertus*, De Horatii Obtrectatoribus, (Poett. Latt. Reliquiae) adnot. 1.

62) Cic. Orat. c. 11. — Cf. fragm. ap. Auct. ad Herenn. II. 23.

63) Cic. de Div. I. 14. — Cf. *Langium*, Vind. p. 17.

64) Cic. Orat. 46. 155. — Cf. *Forcellinii* Lexic. s. v. Pacuvius, et *Mansonem*, Vermischte Schriften, p. 51. not. 5.

L. Attius [65]) aeque quidem libere quam Pacuvius imitatus videtur Graecorum tragoedias eodemque successu, sed ingenio atque indole magnopere ab eo discrepabat. Cum in Pacuvio enim ubertas atque doctrina inprimis laudanda esset, quae cernebatur etiam in ornatiore et limatiore scribendi genere, Attius laudem consecutus est altitudinis ac sublimitatis potissimum [66]), minorem

65) Recte iam *Lange*, Vindic. p. 6. not. 10. contra eos repugnavit, qui duos vixisse L. Attios posuerunt. Omnes loci, qui id probare dicuntur, rectius ita explicari possunt, ut unum tantum Attium, et comoediarum et tragoediarum scriptorem, fuisse statuatur. *Hieronym.* in Euseb. Chron. Ol. 160. 2. refert quidem, inter colonos eum Pisaurum deductum esse; quod aetati Attii, qui eodem loco narratur a. 584. U. C. natus esse, non satis convenire videtur, cum colonia illa a. U. C. 570. mitteretur (Liv. XXXIX. 44. Vell. Paterc. I. 16.). Sed quidni sumamus, iterum Pisaurum missos esse colonos, inter quos Attius noster fuerit? Quod saepe factum esse, nemo est quin sciat (Cic. de Lege Agrar. II. 13. II. 28. Liv. XXXVII. 46. *Niebuhr*, Röm. Gesch. B. II. p. 53 sq.). Tum locus *Hieronymi* in Euseb. Chron. Ol. 156. 3. (600. U. C.) falso adhibitus est, ut Pacuvius a. 600. mortuus esse demonstraretur, cum aperte ad hunc praefixum annum spectent verba »Pacuvius Brundusinus clarus habetur:« quibus tum adiicitur, Tarenti eum post obiisse. Itaque perperam ex eo loco collegerunt (comparato scilicet Cic. Brut. c. 64.), Accium seniorem aliquem a. 560. U. C. natum esse atque hunc, illius iunioris patrem, inter colonos fuisse Pisaurum a. 570. deductos. Ciceronis denique locum Phil. I. 15. optime iam explicuit *Lange*, l. l., ita ut ex eo concludi non possit, Attium tragicum obiisse a. 650. ideoque secernendum esse ab eo Attio, quem ex Cic. Brut. c. 28. patet mortuum esse circiter a. 667. — Praeterea si duos Attios vixisse poneremus, quorum prior comoediarum, posterior tragoediarum scriptor fuerit, innumera inter se pugnarent, quae hic longum est exponere. Hinc certum videtur, unum fuisse, natum a. 584., mortuum circ. 667. Errat *Bothe* (in Fragmm. Poett. Scen. p. 157.) Attium statuens usque ad annum 675. vixisse. Nempe Valer. Maximi III. 7. 11. locus non intelligendus est cum *Lil. Gyraldo* Dial. VIII. p. 421. de celebri illo Iulio Caesare, sed potius de C. Iul. Caesare Strabone, qui et ipse tragicus erat poeta et vir magnae in civitate auctoritatis (Cic. Brut. c. 48. et Asconius in Scaurianam, p. 24. ed. Orelli. Aedilitius erat a. U. C. 666.). — Hinc etiam *Bernhardy*, Röm. Litteraturgesch. p. 29. ipsum illud collegium poetarum, quod memorat Valer. Maxim. l. l., minime debebat in dubitationem vocare.

66) Horat. Ep. II. 1. 56. Gell. N. A. XIII. 2. Ovid. Amor. I. 15. Quint. V. 13.

vero diligentiam collocabat in elaborandis versibus [67]), atque in sermonis vitanda duritie [68]). Plena sunt fragmenta ex tragoediis eius conservata altioris spiritus ac granditatis, Aeschyloque, quem haud raro imitatus est, dignissima. Conferendum est ante omnia longius illud fragmentum ex Attii Prometheo Soluto repetitum, quod extat apud Cic. Tusc. Disput. II. 10. »Titanum suboles etc. [69]), quod neque *Schlegel* (Vorles. II. p. 17.) Aeschylo indignum censet. Nec veri dissimile est, quod *Welcker* (Aeschyl. Trilog. p. 8. not. 7.) suspicatur, Attii Philoctetam, cuius fragmenta afferunt Cic. Tusc. Disp. II. 10. et Varro, L. L. VII. §. 11. ed. *Müll.*, ad Aeschyli potius quam Sophoclis aut Euripidis fabulam compositum fuisse [70]), cum etiam in his Aeschylea sublimitas conspicua sit. Atque eundem in aliis quoque fabulis secutus videtur [71]), et, ubi Sophoclem et Euripidem expressit, multa eum ex illo desumsisse probabile est. Num vero, ut *Stieglitzius* l. l. p. 71. suspicatur, trilogias etiam composuerit, in medio relinquam: sed hoc ex solis fabularum titulis minime potest derivari, praesertim cum nonnullos titulos, qui trilogiae suspicionem movere possent, ut Antenoridas et Aeneadas, certo sciamus singularum fabularum inscriptiones esse. — Dolendum est, nullum longius ex choris Attii ad nos pervenisse fragmentum: procul dubio enim in his multo magis, quam reliqui tragici Graecorum sublimitatem attigerat [72]); certe non magni eum fecisse Euripidis choros, coniicio e Non. s. v. *temerius*, ubi haec eius verba e secundo Didasc. libro desumta afferuntur: »Sed Euripidis, qui choros temerius in fabulis.« —

67) Horat. Ep. ad Pis. v. 258 sqq.

68) Gell. XIII. 2., ubi Pacuvius, cui Attius Atrea fabulam Tarenti recitavit, *sonora* quidem et *grandia*, quae scripsisset, dicitur iudicasse, sed simul tamen *acerbiora* paulum et *duriora*.

69) Attii hoc esse elucet e Non. s. v. adulatio, p. 17. Mercer.

70) Qua in re *Hermannus* quoque assentitur; cf. *Welckers* Nachtrag zur Trilog. p. 36.

71) Ut in Myrmidonibus (cf. *Vossium* ad hanc fabulam) et in Phinidis.

72) Unam tantum ex Attii Atreo indagare potui chorici carminis particulam, ap. Non. s. v. sonere:

Sed quid tonitru turbida torvo (Anap.)
Concussa repente aequora coeli
Sensimu' sonere?

ceterum cf. fragm. ex Attii Bacchis ap. Macrob. Sat. VI. 5.

Iam vero si ingenium et artem cogitamus, qua vidimus Pacuvium et Attium versatos esse in tractandis Graecorum fabulis, non possumus non credere, etiam in domesticis factis celebrandis illos successu non caruisse. Ipsi tituli praetextarum, quas composuerunt, arguere videntur, non historias tantum, ut *Badenius* et *Planckius* opinantur (§. 7.), ab iis enarratas, sed res tragico cothurno aptissimas tragico modo pertractatas esse. Idem vel ex paucis earum laciniis colligi potest. Afferam tantum Attii Decium et Pacuvii Aemilium: quarum prior tragoedia Decium celebrat pro patriae salute vitam devoventem, qua devotione rite peracta ipse se cum hostium legionibus mystico quodam modo diis inferis sacratum putaret (*Neukirch*, de fab. tog. Rom. p. 76 sqq.): haec vero illustrat caedem Aemilii Paulli in pugna ad Cannas [73]), qui, cum ipse prudentissimus esset belli dux, collegae tamen temeritatem morte luere quam cladi superstes esse malebat. Digna sane tragoedia argumenta: quae etsi non contenderim cum ea tragoediae Romanae imagine, quam *A. W. Schlegel* (Vorles. II. p. 20) proposuit, accommodatissima tamen opinor fuisse ad tragicos ciendos affectus, ita ut manifestus sit *Planckii* (Prolegg. p. 35) error, qui Romanis tum ne discrimen quidem inter tragoediae et comoediae virtutes cognitum fuisse asseverat.

Attius ultimus fuit, qui reipublicae temporibus magni tragici laudem adeptus est. Iam si ad omnes hos *veteres*, de quibus disseruimus, tragicos respicimus, hoc extra omnem dubitationem positum nobis debet videri, eosdem (Livio solo excepto) non tantum Graecorum vestigia ausos esse deserere, sed etiam pro diverso ipsorum ingenio atque indole diversis virtutibus insignes fuisse, neque unquam in talia incidisse vitia, qualia propria eorum fuisse »a priori« demonstrasse sibi visi sunt viri supra commemorati. Aerugo quidem et asperitas dictionis etiam in Pacuvii Attiique tragoediis nondum plane evanuerat: sed cum ea ipsa tantum pondus tantaque maiestas coniuncta erat, ut tragoediae illae etiam Augusti aevo emendatioribus et exactioribus carminibus non cederent [74]).

73) Ut recte iudicavit *Neukirch*, de fab. tog. p. 73. De Aemilio Paullo Macedonico cogitarunt *Bothe*, Fragmm. Poett. Scen. I. p. 137. *Lange*, Vind. p. 14. et *Ferd. Winkelmann*, Arch. f. Philol. u. Päd. 1833. II. 4. p. 511 sq.

74) Sic nobis quoque obsoletae hodie duraeque in Lutheri operibus voces et structurae non displicent, sed plerumque cum vi ac vigore eius arctissime videntur cohaerere.

Spirabant veteres Romanorum tragoediae fortem ac bellicosum liberae reipublicae animum, ita tamen ut neque molliores tenerioresque affectus hac ingenii gravitate excluderentur. Hactenus in *Langii* sententiam abeo (cf. Vindic. p. 18).

Sequitur *recentioris* tragoediae aetas, quae Pollionis, Varii, Ovidii, Pomponii, Materni nominibus inclaruit. Fragmenta quidem ex hac aetate supersunt paucissima: sed tam Horatii, Virgilii et Quintiliani testimoniis, quam ipso istius aevi ingenio clarum est, quomodo hae recentiores tragoediae ab antiquis distulerint. Nimirum praestabant illis dictione eleganti, elimata atque ab omni parte perpurgata, sed inferiores iisdem erant verborum vi et pondere ac sententiarum gravitate, quae liberae reipublicae propria fuerat [75]). Neutiquam igitur sentio cum *Badenio* (De Caus. Negl. Tr. p. 32 sqq.) et *Planckio* (Prolegg. p. 45), qui tum primum tolerabiliorem factam esse putant Romanam tragoediam, quique tragicos Latinos, cum antea ne intellexerint quidem Graecae tragoediae indolem ac naturam, nunc demum, Virgilii praecipue epico carmine adintos, liberius vertere incepisse Graecorum tragoedias ac *vere togatas* fabulas condidisse iudicant. Quod iudicium qui et veterum tragicorum reliquias cognitas habent, neque rationem, qua Horatius, Virgilius, reliqui, Graecos expresserint, ignorant, tanquam ineptum respuent et reiicient. Sed Graecorum elegantiae illos Augustei aevi poetas propiores fuisse, quam veteres, nemo erit, quin dubitet. Attamen, ut supra iam vidimus, populus Romanus non statim recipiebat has exactiores limatioresque tragoedias diuque, cum magna Horatii indignatione, eas posthabebat veteribus Attii Pacuviique: cuius rei causa cum in ipsa antiquae poeseos indole atque nativa simplicique gravitate posita erat [76]) tum in eo, quod egregia Roscii et Aesopi actione veteres fabulae populo commendatae essent [77]). Qui vero opinantur, recentiores tragoedias omnino non actas esse, sed tantum coram amicorum coetibus recitatas, ii errare mihi videntur [78]). *Grysarius* in doctissima Commentatione de Rom. Theatro (Allgem. Schulzeit. 1832.

---

75) *Lange*, Vind. p. 17. *Dunlop*, Hist. of Rom. Litt. III. p. 454.

76) *Manso*, Nachtr. zu Sulzer, IV. p. 434 sq.

77) Hor. Ep. II. 1. 82. *Baden*, de Caus. Negl. Trag. p. 40 sqq.

78) *Planck*, Prolegg. p. 45. *Jacobs*, Nachtr. zu Sulzer, IV. p. 336 sq. *Lange*, Vind. p. 24.

Abth. II.) p. 315 sq. certe Pollionis et Pupii tragoedias publice editas fuisse concedit, quae ideo placere potuerint populo, quod totae ad Attii Pacuviique exemplum compositae fuerint, maximeque ab emendata Horatii et Virgilii poesi recesserint. Quemadmodum ego vero in eo facio cum *Grysario*, quod publice actas censet Pollionis et Pupii fabulas [79]): ita tamen causam, ex qua putat licuisse Pollioni fabulas suas scenae committere, Vario vero et Ovidio minus, non possum pro vera habere. Sine dubio enim Asinius aeque ac reliqui magni illius aetatis poetae a vetere Attii et Pacuvii dictione maxime sese removerat atque exactiori politiorique scribendi generi operam navabat; quod apparet ex Horat. Sat. I. 10. 85., ubi in iis ponitur Pollio, quorum approbationi plurimum tribuat Horatius (cf. Virg. Eclog. VIII. 10.); et ex Suet. de Illustr. Grammat. c. 10., quo loco scripta narratur reprehendisse Salustii, ut nimia priscorum verborum affectatione inquinata (coll. Gell. X. 26.): eo tantummodo discrepabat ab illis, quod nimiam in componendis tam orationibus quam carminibus collocans diligentiam, pressius scriberet neque ad eam orationis laetitiam assurgeret, qua Cicero et Ovidius insignes fuerant [80]). Apri autem in Dial. de Orator. c. 21. haec de Asinio dicentis: »Pacuvium certe et Attium non solum in tragoediis, sed etiam orationibus suis expressit; adeo durus et siccus est etc.«, non magna esse potest auctoritas, cum is plurimi faciens sententiarum colorem, descriptionum nitorem et cultum, atque in Cicerone adeo desiderans orationis splendorem et ornatum, contemneret sane necesse esset Asinii orationem nervosam et ab effeminata posterioris temporis mollitie puram. Longe aliter de eo iudicat in eodem Dialogo c. 25. Messala, qui Ciceronem quidem ceteris omnibus disertis praefert, Calvum autem, et Asinium, et Caesarem et Coelium et Brutum et prioribus et sequentibus anteponit nec referre ait, quod inter se specie differant, cum genere consentiant. Adstrictiorem enim esse Calvum, *numerosiorem* Asinium, splendidiorem Caesarem etc. Quod hic vero de orationibus Asinii dictum est, idem valebit in tragoedias eius, quibus Aper idem obiecerat quod orationibus; et sic specie quidem differre eum concedemus a Vario, Ovidio, reliquis, at genere recte statuemus eum non annumerandum

79) Horat. Od. II. 1. 9 sq. et Schol. Cruq. ad Hor. Ep. I. 1. 67. Cf. *Weichert.*, de Horat. Obtrectatoribus, §. 2. adnot. 6.

80) *Thorbecke*, de Asinii Pollionis Vita ac studiis doctrinae, p. 63—88.

esse veteribus poetis, sed novae potius Augusteae aetatis poetarum sectae [81]), cuius propugnatorem Horatium extitisse supra demonstravimus. Quodsi igitur Asinii tragoediae in scenam missae sunt, non dubito quin idem etiam Varii et Ovidii fabulis factum sit. Quanquam Ovidii duos locos (Trist. II. 519. et V. 7. 25.) nolim cum *Heynio*, *Massone* (vita Ovid. p. 72) et *Bernhardyo* (Röm. Litteraturgesch. p. 182. not. 520.) de editis eius tragoediis intelligere, assentiens *Weicherto*, qui in Commentatione de Horat. Obtrect. p. 286 sq. (in Reliqu. Vett. Poett.) versus illos:

Et mea sunt populo saltata poemata saepe.

et:

Carmina quod pleno saltari nostra theatro
Versibus et plaudi scribis, amice, meis.

de publica carminum Ovidianorum in theatris recitatione cum gestu et accommodato motu coniuncta interpretatur. — Non negaverim quidem, inde ab Augusti tempore populi voluptatem ab auribus ita ad oculos migrasse, ut pantomimos maluerint spectare fabulas tragicas saltantes, quam soli tragoediarum actioni immorari [82]): verum tamen non evanuisse plane tragoediam a scena, ex multis indiciis recte colligere mihi visus sum. De Augusti aetate res non est dubia, neque opus habeo plura afferre [83]). De Tiberio nihil quidem certi mihi innotuit; sed coniicio ex Dione LVIII. 24. (qui Mamercum Aemilium Scaurum ideo refert a Tiberio capitis damnatum, quod in Atreo monuerit aliquem, ut stultitiam tyranni ferret), etiam sub hoc imperatore tragoedias publice editas esse: quanquam alii (ut *Weber*, de Recitat. p. 16) de recitationibus

81) Quod iniuria etiam *Weichertus* negat, de Hor. Obtrect. (Reliqu. Vett. Poett., p. 328).

82) De *pantomimis* uberius egerunt *Lange*, Vind. trag. Rom. p. 25—27. et *Grysar*, über die Pantomimen der Römer, Rhein. Mus. 1833. II. 1. p. 30—80. Ex horum disquisitionibus planum est, non solum obscenas res a pantomimis repraesentatas esse, sed inprimis tragicas fabulas: neque etiam gestus solos admirationem Romanorum creasse, sed carmina ea, quae pantomimice exprimerentur, simul a cantore vel choro decantata esse (Cf. *Wolff*, de Canticis, p. 22). Quanta vero pantomimorum fuerit ars et tragica vis cum ex multis patet exemplis, tum inde, quod spectantibus lacrimas interdum expressisse narrantur.

83) Praeter Horatium conferas, si lubet, Suet. Octav. c. 43. et c. 89. ibique Casaub.

cogitant. De Caligula narrat vero Suet. c. 18. » Scenicos ludos et assidue, et *varii generis* et *multifariam* fecit «; de Claudio, idem, c. 21.: » Spectacula quoque complura et magnifica edidit, non usitata modo ac solitis locis, sed et commenticia, et ex *antiquitate repetita*; « de Nerone, idem, c. 11. » Spectaculorum plurima et *varia genera* edidit. — — — Inducta est et Afranii togata, quae Incendium inscribitur; « de Vespasiano, id. c. 19.: » Ludis, per quos scena Marcelliani theatri restituta dedicabatur, *vetera quoque acroamata* revocaverat. Apollinari *tragoedo* quadringenta (sestertia dedit). « Huc accedit, quod Seneca Ep. 80. aperte tragoedum aliquem Atrei partes suo tempore egisse scribit (cf. Senec. Ep. 108. Quint. VI. 2. 35.), et Plin. VII. 17. 11. Pomponium Secundum, si quis amicorum eius aliquid in tragoedia tollendum censeret, dixisse narrat: » ad populum provoco: « quod dictum multo verisimilius est ad publicam tragoediarum editionem, quam ad recitationes spectare (ut iudicat *Weber*, l. l.). Imo extremis imperii Rom. temporibus non plane cessasse tragoedias et comoedias, demonstratum ivit *Müller* (de genio aevi Theodos. II. p. 134 sqq.). Hinc suspicor, multos etiam eorum tragicorum, qui post Augustum scriberent, non recitasse tantummodo tragoedias suas, sed publice adhuc edidisse. Neque tamen omnes id fecisse, certe non seriores, Materni exemplum docet, qui in auditoriis solum tragoedias recitabat (Dialog. de Oratoribus c. 9. et passim). Quemadmodum vero Materno, ut videtur, haec ipsa recitandi consuetudo haudquaquam damno esset tragoediaeque eius a rhetoricis exercitationibus maximopere differrent (cf. Dialog. de Orat.): ita *Senecae*, vel quae nomine eius feruntur tragoediae [84]), merae sunt declamatoriae exercitationes atque adeo omni tragica vi et *poetica* arte destitutae, ut, qui conferre eas potuerint cum veterum tragicorum operibus atque iisdem eas occupari vitiis iudicaverint [85]), perversissimo iudicio usi sint. Nam ut nefas esset, seriorum temporum rhetoras aequiparare vel comparare Ciceroni, ita non minus iniquum est, quae vitia Seneca in tragoediis suis admisit, ea ad probam castamque Pacuvii et Attii aetatem transferre (*Lange*, Vind. p. 2 sq.). Tot autem tantique viri iamiam exposuerunt vitia, quibus tragoediae

84) Videntur enim a pluribus profectae esse; cf. quos hac de re affert *Lange*, p. 9.

85) Ita *Baden*, de Caus. Negl. Tr. p. 49. — *Planck*, Prolegg. p. 46.

illae turpiter scatent, ut actum agere viderer, si longius huic rei inhaerere vellem[86]). Ex unaquaque Senecae tragoedia apparet studium eius admirationis aucupandae animique lectoris percellendi: neque personas suas ita inducit loquentes, uti conditioni earum accommodatum est, sed uti maxime suum acumen et rhetoricam artem ostentare potest. Abundat sententiis per se quidem gravibus et pulcris, sed plerumque non suo loco positis. Etiam in metris adhibendis tam negligenter et pro arbitrio agit, ut *Herm.* in Elem. Doctr. Metr. p. 387. 451. ultimam manum eius tragoediis defuisse statuat. Clementius tamen de metrico eius artificio iudicarunt: *Grotefend*, Lat. Grammat. c. V. §. 132. *Bähr*, Röm. Litteraturgesch. §. 34.

CAPUT II.

DE POPULI ROMANI TRAGOEDIAS SPECTANDI STUDIO ET AMORE.

§. 9.

Iam absoluta de tragicis Romanorum poetis disputatione, reliquum est, ut quomodo a populo excepta et adiuta fuerit tragoedia dispiciamus. Uno enim ore paene obiecerunt Romanis, ita rudes eos fuisse, tantoque studio frivolis sannionum et aliorum id genus hominum artibus operam dedisse, ut tragicae Musae severitate omnino non potuerint delectari, praesertim cum non nata sit apud ipsos, sed ex peregrina terra Romam translata. Vere iam notavit *Langius* (Vind. Tr. Lat. p. 27), ipsam tragicae poeseos rationem ac conditionem apud Romanos obstare tali opinioni, cum mirum sane foret, si tantum fuisset componendarum tragoediarum inter Romanos studium, nec tamen populus iisdem favisset. Nemo

86) Comparandi sunt praecipue: *Jacobs*, Nachtr. zu Sulzer, IV. p. 339—408. *Baden*, l. l. p. 49—80. — *A. W. Schlegel*, Vorles. II. p. 25—28. Inter antiquiores rectissime iam de eo iudicaverant: *Anton. Balearis*, de Orat. VII. 5. *Io. Ger. Vossius*, Institut. Poet. II. 12. §. 11. II. 14. §. 3. alii. Neque tamen defuerunt, qui summum poetam eum haberent.

quidem credet, in pari honore, quo a Graecis, a Romanis habitam fuisse tragoediam aut aeque exculta fuisse universi populi Romani ingenia ad intelligendum et recte aestimandum artis aliquod opus, atque illorum: sed magnopere tamen reipublicae temporibus (nam de his solis quaeritur) acceptam fuisse Romanis tragoediam, ex multis rebus intelligitur. Antequam vero ad hoc demonstrandum accedam (quod eo brevius a me fiet, quo accuratius iam omnes locos huc pertinentes in uno conspectu posuit doctissimus *Lange*, Vindic. p. 27—42): primum quae in contrariam sententiam protulerunt VV. DD. breviter percensebo.

§. 10.

Primum dicam de sententia *Köpkii* 1), qui Romanorum animos hebetes factos censet ad tragicos sensus percipiendos tum cruentis ipsorum ac perniciosis bellis, tum ludis gladiatoriis, bestiariis, aliis 2), tum denique triumphorum pompa ac splendore. Quod ad *bella* Romanorum attinet, triplici modo *Köpkius* ea fingit contulisse ad abalienandos a tragoedia populi Romani animos. Non solum enim continuo sanguinis ac caedis aspectu crudeliores et immaniores factos esse, ita ut omnino tangi ac moveri non amplius potuerint tenerioribus, quae tragoedia excitantur, animi affectibus: sed etiam, cum ipsi belligerantes orbis terrarum quasi fuerint tragoedi, ad has amplas tragoedias animum maluisse advertere, quam ad scenicas fabulas; et, cum potentissimos reges de imperio depulerint, eum tanquam aeternum fatum mortem atque exitium illis paraverint, non aequo animo spectare potuisse tragicorum heroum fati vi subactorum interitum, sed Manibus trucidatorum regum a scena depelli ac removeri debuisse. At quantopere in his ipsis sibi contradicat *Köpkius* quisque videt. Nam quomodo ii, quibus nimis pusillae viderentur scenicae actiones, quam ut a maioribus historiae tragoediis descendere vellent ad humilem illam vitae imitationem, ita tamen putari possunt tacti iisdem et in scelerum suorum memoriam revocati esse, ut poena magis earum aspectum fugerint atque horruerint? Unum tantum verum esse potest, aut fugisse Romanos tragica spectacula, aut contemsisse et sprevisse. Sed omnia haec, per quae *Köpkius* putat bella

1) Archiv für Phil. u. Päd. 1826. p. 53 sqq.

2) Quod multi iam ante *Köpkium* statuerant; cf. infra p. 60 sqq.

Romanorum nocuisse tragoedias spectandi studio, speciosa tantummodo sunt neque in ipsa huius populi indole posita. Nam primum quis concedere potest, militia extinctos esse omnes mitiores in Romanorum animis sensus? Nonne eo ipso tempore, quo continua paene eaque admodum cruenta bella gerebant cum vicinis populis, summis virtutibus conspicui inter eos vivebant viri, quos iure hodie adhuc admiramur? Nonne postea quoque iidem, qui strenui bello erant milites, ut Scipiones, Aemilii, omni humanitate morumque mansuetudine eminebant? — Profecto, bellum ipsum *non semper* duros hominum animos reddit; neque Atheniensibus aliisve populis pro patria pugnantibus crudeliterque hostes saepe tractantibus tale quid obiectum est (cf. §. 4.). Tum quod *Köpkius* dicit, maiores illas tragoedias ab ipsis Romanis in subigendo terrarum orbe editas magis eos cepisse, quam fictos in scena casus: aeque ineptum esse mihi videtur, ac si quis dicat, picturas spernendas et nullius pretii habendas esse, quia res depictae in ipsa rerum natura quales vere sint conspici possint. Imo artis opera puriorem plerumque et certiorem effectum habent, quam res, quas vita et veritate non carere, sed vere aut adesse aut fieri sensibus nostris percipimus; et fictae quoque tragoediae multo τραγικωτέρους valent ciere sensus, quam ampliores ipsius vitae tragoediae, quae nunquam alienis sensibus carent. Hoc et ipse *Köpkius* intellexit, cum Romanos putet fugisse tragicam scenam, malefactorum suorum conscientia deterritos. Sed licet id recte viderit, non immotos eos fuisse tragoedias spectantes, in eo tamen vehementer erravit, quod tanquam scelestos homines animi conscientia eos excruciatos esse putat, quando tragicis actionibus interessent. Non nego quidem, hominem aliquem maleficum non cupere id ipsum faciens, quod commisit, in theatro repraesentatum aspicere: quod pulcre in Hamleto regis istius improbi exemplo illustravit Shakspearius: sed id minime concedendum est, Romanos cum orbem terrarum sibi subiicerent atque opulentissima regna everterent, scelestos et fuisse et sibi visos esse. Pro urbe enim eiusque gloria omnia sibi licita putabant, ac deorum voluntate aemulos suae gloriae prosterni persuasum habebant. Generosus ille Scipio, licet Carthaginis defleret ruinam, nihilominus non solum hanc urbem diruerat, sed postea quoque fortissimam Numantiam excidio delevit, cum hoc necessarium utique ad patriae salutem putaret. Itaque quando in scena heroum et regum fata repraesentarentur, non poenitere poterat Romanos spectatores factorum suo-

rum, sed admonebantur solummodo, ne rerum humanarum vicissitudinis immemores nimium fortuna sua efferrentur.

Porro *triumphos Köpkius* affert tanquam perniciosissima tragoediae spectacula, et quod horum splendor ac magnificentia tragicae scenae simplicitatem obscuraverit, et quod haud raro *verae* tragoediae iis exhibitae fuerint, captivis scilicet regibus triumphatoris currum comitantibus. De posteriore causa iam vidimus: nam idem in eam valet, quod modo diximus de amplioribus illis tragoediis a Romanis in expugnando orbe terrarum editis. Splendore vero triumphorum non magis puto apud Romanos extinctum esse tragoediarum spectandarum studium, quam apud Graecos publicarum pomparum magnificentia: quanquam non eo infitias, plebeculae Romanae triumphalem pompam multo maiorem attulisse delectationem quam severam aliquam tragoediam, ac simplicitati tragicae scenae maximopere splendidum illum triumphorum apparatum nocuisse 3). Cum enim diu simplicissima fuissent temporaria Romanorum theatra 4), quippe in quibus tam parum provisum esset spectatorum commodis, ut per longum tempus ne sedilia quidem apposita essent, sed, quicunque sedere vellet, ea secum afferre aut mercede conducere deberet 5): iam inde a Claudio Pulcro

3) *A. W. Schlegel*, Vorles. II. p. 24.

4) Egregie errant *Planck*, Prolegg. p. 60. et *Dunlop*, Hist. of Rom. Litterat. I. p. 65, qui e Festo s. v. Scribas, collegerunt, Andronico porticum in Palladis templo ab aedilibus concessam esse ad fabulas agendas. Festus autem l. l. haec habet: »itaque cum Livius Andronicus bello Punico secundo scripsisset carmen, quod a virginibus est cantatum, quia prosperius Respubl. Rom. geri coepta est, publice attributa est ei in Aventino aedis Minervae, in qua liceret scribis histrionibusque consistere ac *dona ponere* in Livii honorem, quia is et scribebat fabulas et agebat.« Nihil inest his verbis, nisi licuisse poetis atque histrionibus in templo illo memoriam Livii celebrare et dona ibi in eius honorem ponere: qui mos et alias non inusitatus erat. Cf. Plin. N. H. XXXIV. 10. Plut. Pompei. c. 2. Suet. Tib. c. 26. — Praeterea nullum habemus exemplum, neque apud Graecos neque apud Romanos, theatri cum ipso templo ita coniuncti.

5) Ita iam antea Circensibus ludis spectacula quisque sibi fecerat; Liv. I. 35. De scenicis ludis haec tradit Augustin. de Civ. Dei, II. 6.: »Nasica pontifex Maximus caveam theatri senatum construere molientem compescuit, persuasitque, ne Graecam luxuriam virilibus patriae moribus paterentur obrepere, et id egit, ut Senatus

aedili (a. 654) summa scenici apparatus luxuria invaluit [6]), et per Pompeium inprimis eo usque progressa est, ut Cicero saepius eam reprehendat [7]), doleatque quod plebs delectata fuerit sexcentis in Clytaemnestra mulis, et tribus millibus craterarum in Equo Troiano [8]). Imo Horatius queritur (Ep. II. 1. 187 sqq.) etiam nobiliores maiorem ex scenico apparatu quam ex ipsis carminibus voluptatem hausisse [9]): quod sane tragicum effectum magnopere imminueret necesse erat. Sed haec tamen serioris sunt temporis.

Neque diffitendum est (id quod praeter *Köpkium* multi alii VV. DD. monuerunt), Romanum populum haud parvo studio deditum fuisse Atellanis, mimis, funambulis, ludis denique bestiariis et gladiatoriis. Sed ne hoc quidem ita, uti dici possit, Romanos nil spectare voluisse, nisi istiusmodi spectacula, aut omnes pari modo his omnibus intentos fuisse. Quantum primum ad *Atellanas*, certum quidem est, eas demum post introductam a Livio tragoediam a Romanis acceptas et antiquis illis iocis, quos iuvenes Romani statim post Livium instauraverant, consertas esse [10]); sed inde minime consequitur id, quod

---

subsellia, quibus ad horam congestis in ludorum spectaculis iam olim uti coeperat, deinceps prohiberet apponi.« (Factum illud est a. 598. U. C.; Valer. Max. II. 4. 2., quem perperam intellexit *Meierotto*, üb. Sitten u. Lebensart d. Römer, I. p. 105. Cf. Vell. Pat. I. 15. Liv. Epit. libri XLVII.). Mercede vero conduci antea solita fuisse subsellia, suspicatur *Burm.* ad Suet. Ner. c. 17. — Aperte autem falsus est *Stieve*, de Rei Scen. Or. p. 43. not. 1., Romanos existimans usque ad annum 558 (560) promiscue circumstantes ludos spectasse. Id non solum Livii XXXIV. 54. verbis: »Cur dives pauperem *consessorem* fastidiret« repugnat, sed multis etiam Plauti locis (Poenul. Prol. v. 5. 15. 18. 20. Bacch. Prol. 1.) refutatur. — Nec magis tamen assentior *Grysario* (Allg. Schulzeit. 1832. Abth. II. p. 334), qui iam a Liv. Andron. caveam exstructam censet ad Graecorum modum. Obstat Augustini locus et alia multa.

6) Plin. XXXV. 7. XXXIV. 17. XXXVI. 2. — *Lange*, Vind. p. 23.

7) de Off. II. 17.

8) ad Fam. VII. 1.

9) Cf. *Schlegel*, Vorles. I. p. 39. *Dunlop*, Hist. of R. L. I. p. 337 sq. *Grysar*, l. l. p. 337 sq.

10) Liv. VII. 2. — *Grysar*, l. l. p. 327. *Schober*, l. l. p. 9 sqq. *Stieve*, l. l. p. 46.

Schober, (über die Atellan. Schausp. p. 8 sq.) et *Stieve* (de Rei Scen. ap. Rom. Orig. p. 68) contenderunt, iuvenes Romanos, quod non sensissent comoediarum et tragoediarum nuper inventarum artem et elegantiam, ad rudes istas iocationes rediisse. Causa huius rei in eo posita videtur, quod Romani pristinos suos ludos, quibus tantopere antea delectati fuerant, et qui festivitate sua et iocorum lepore novo fabularum generi praestabant, non plane abiiecre, sed cum cognatis Atellanis coniunctos [11]) tanquam proprios et ab reliquis histrionibus intactos retinere vellent. Atellanas vero et arte postea excultas esse et Latinis versibus compositas haud spernendam literarum Latinarum partem effecisse [12]), docet Velleii II. 9. de Pomponio testimonium [13]). Obscenis quidem ac rusticis iocis etiamtum repletae erant: sed id non magis populum a tragoedia abalienaret necesse erat, quam Graecorum dramatis satyrici aut Shakspearii obscena dicta spectatores a tragica severitate averterunt. Huc accedit, quod tam antiqua illa iocularia (*exodia* inde appellata, Liv. VII. 2.), quam consertae cum iis Atellanae in fine fabularum (tragoediarum inprimis) tanquam appendices et dramatum satyricorum instar ederentur. Quod duobus locis extra omnem dubitationem ponitur: Schol. ad Iuven. Sat. III. 175.: »Exodiarius apud veteres in fine ludorum intrabat, quod ridiculus foret, ut, quidquid lacrimarum atque tristitiae coegissent ex tragicis affectibus, huius spectaculi risus detergerent,« et Cic. ad div. IX. 16. »quoniam tu secundum Oenomaum Accii, non, ut olim solebat, Atellanam, sed, ut nunc fit, mimum introduxisti.« Qui mos maximopere convenit cum Anglorum consuetudine, qui etiam tragoediis admodum iocosos epilogos adnectere solent [14]). Iniuria negat *Stieve*, l. l. p. 47 sqq. *exodia* nomen suum traxisse ab eo, quod *in fine tantum fabularum* dari

---

11) Neque ita tamen coniunctos, ut vult *Schober*, p. 33 sq. Confer potius *Stievium*, l. l. p. 47.

12) *Ferd. Winkelmann* (Archiv f. Phil. u. Päd. 1. 1.) adeo fabulas togatas censet haud diversas fuisse ab Atellanis, pluribusque argumentis id studet demonstrare. At si legisset, ut alia taceam, *Neukirchii* librum, de fab. tog. Rom., (inprimis p. 44 sqq.), non iudicasset ita, sed toto coelo Atellanas et fab. togatas inter se differre intellexisset.

13) Vide *Schoberum*, l. l. p. 39—44.

14) *Lessing*, Dramaturg., I. p. 55.

solita fuerint, ut recte iam statuerat Casaub. de Sat. Rom. II. 1. p. 184. Fingit sibi exodia nihil aliud significare quam ridicula dieteria, eaque primum quidem Atellanis conserta esse et horum actoribus nomen exodiariorum impertiisse, postea vero flagitante populo etiam a mimis planipedibusque accepta, et vel *inter actus* vel *in fine* fabularum edita esse: unde mimi ab Atellanis exodiariorum nomen duxerint. Sed exodia ad mimos neutiquam pertinent, et, si verum esset, hos inter actus fabularum lusisse, de exodiariis tamen hinc nihil sequeretur, quorum nomen unice ad Atellanos transiisse videtur, quosque in fine tantum fabularum egisse locus supra laudatus demonstrat. — At eum ad *mimos* sermo deflexerit, videamus, num horum studium Romanorum animos a tragoedia avocare potuerit, et quatenus mimicus lusus cum tragoedia et comoedia coniunctus putandus sit. Mimorum ars, quantum scimus, demum circa Syllae tempora enata et exculta est Romae; certe nullum superat vetus testimonium, quo planipedes aut mimos iam antea artem suam exercuisse probetur. Num antea in scenam prodierint, in medio relinquo: hoc tamen affirmo, errasse, qui ex Diomed. III. p. 489. collegerunt [15]), mimos, antequam seorsim prodiissent, inter fabularum actus egisse. Quomodo rectius locus ille Diomedis explicandus sit, de Pantomimis scilicet, ostenderunt *Wolff*, de Canticis, p. 20 sqq. et *Grysar*, Rhein. Mus. 1833. II. 1. p. 34 sq. Neque puto *mimico* illo velo, quod, dum fabularum actus commutarentur, populo obsistebat [16]), opinioni illi fidem aliquam adstrui posse. Maxime autem a vero aberrat *Planckius*, qui l. l. non tantum comoediae sed tragoediae etiam cantica a mimis inter fabularum actus decantata et saltata esse statuit. [Similem sententiam de canticis protulerat *Boettigerus* [17]), quem refutavit *Hermannus*, de Cantico in Rom. fab. Scen. (Opusc. I. p. 290—307). Cantica enim ipsius fabulae partes erant (Diomed. p. 489) et a nobilissimis histrionibus tam comoedis quam tragoedis saltabantur (*Herm.* l. l. p. 301. *Wolff*, de Cantic., p. 18)]. Inepta praecipue *Planckii* de *tragicis* canticis est sententia: quae ab initio in chori Graecorum locum suc-

---

15) *Ziegler*, de mimis, p. 11. not. *Stieve*, l. l. p. 50 sq. *Planck*, Prolegg. p. 58. not. 1.

16) Donat. de Com. et Trag. et Fest. s. v. siparium.

17) De quatuor aetatibus Rei Scen. p. 15.

cessisse, postea vero, cum non amplius satisfecerint populo, ad res vilissimas deflexa et inter tragoediarum actus a mimis risus ciendi causa cantata esse existimat. Hoc sane, si ullo modo argumentis firmari posset, aperte demonstraret, Romanorum studia ad frivolas tantum res propensa omnino a tragoedia abhorruisse. Sed mera sunt *Planckii* commenta. — Mimi in scena quidem agere solebant, sed, ut Atellani et exodiarii antea, in fine solummodo fabularum, tragicarum potissimum, prodibant, ut tristitiam iocis suis diluerent [18]). Iniquius igitur iudicant, qui ita populum Romanum eos praeposuisse censent tragoediis, ut has amplius spectare noluerint. Imo cordatiores Romani mimos reliquis omnibus spectaculis postponebant [19]): infima autem plebs ac sentina populi, si turpi atque obscena mimorum actione magis delectabatur quam tragoediis et comoediis, non differt hac in re ab aliarum gentium plebe, eiusque hic nulla ratio haberi potest. — Sic etiam quae de funambulis et ursis fabulari solent, magis ad plebem quam ad universum populum Romanum pertinent; ipseque Horat. Ep. II. 1. 186. dicit »his nam plebecula gaudet« (*Lange*, Vindic. p. 50). Et quanquam non infitiandum est, his perversis plebis deliciis turbatos interdum et interruptos esse scenicos ludos, praesertim si ignotus aliquis poeta primum fabulas suas scenae committeret (Horat. l. l. Terent. Hecyr. Prol. II.): iniustissimum tamen de *populo Romano* ferunt iudicium, qui inde concluserunt, non alio eum tempore fabulas spectare cupiisse, quam cum nec funambuli nec pugiles spectaculo sese obtulissent [20]).

Venio denique ad *gladiatorios* et bestiarios ludos, quos iam supra (§. 5.) non negavi omnium maxime Romano populo adamatos fuisse (Cic. pro Sext. c. 59.) atque cultissimis adeo Romanis non displicuisse [21]), cum fortissima contra mortem ac dolorem disciplina iis viderentur, et profecto essent. Quos tamen si *Les-*

18) Cic. ad Fam. IX. 16. ad Attic. IV. 15.

19) Cic. ad Fam. XII. 18. Hor. Sat. I. 10. 6.

20) Quam raro ludi ita turbati fuerint, vel ex Prol. I. ad Hecyr. v. 2. intelligitur, ubi dicitur: »*novum* intervenit vitium et calamitas.« Tum verisimile est rudes istos ex plebe homines plerumque domi mansisse, neque spectaculo, quod taedium iis creabat, interfuisse. Cf. Hecyr. Prol. II. v. 32.: »populus convolat« (scilicet quod andiverat gladiatores datum iri in scena).

21) Cic. Tusc. II. 17.

singius, *A. W.* et *Fr. Schlegelii*, *Herderus*, *Köpkius*, alii, unanimi perniciosissimos fuisse censuerunt tragicis affectibus, vehementer ab iis dissentio. Verum enim vero Romani non sanguine effuso laetabantur hos ludos spectantes, sed fortitudinem et dolorum patientiam admirabantur etiam in vilibus et contemtis gladiatoribus conspicuam [22]). Ipsique natura fortes et in armis tractandis a pueris exercitati summo studio iis spectaculis intenti esse debebant, quibus eaedem virtutes oculis eorum offerrentur. Sed cum *damnatos aut mercede conductos* libenter conspicerent inter se pugnantes, mortemque eorum admirarentur, non miserarentur, num aequo tamen animo aspexisse putandi sunt *generosi* alicuius viri fato occumbentis interitum? annon sentirent necesse erat, quantum discrimen intercedat inter Atridarum fatales miserias et vilis alicuius gladiatoris mortem, qui nulla virtute eminet nisi ea, quam diuturna exercitatione addidicit, fortitudine, quique *vita sua* ne id quidem meritus est, ut cum armis adversarii manu morti succumbat? — Profecto, quamdiu gladiatorii et bestiarii ludi non crudelitate sua mitiores sensus ex spectatorum animis evellerent, neutiquam populum in tragoediarum contemtionem adduxerunt: nisi eo fortasse noxiae illis fuerint, quod impedirent, quominus Romani omnes suas cogitationes in scenicos ludos abiicerent.

---

22) Cf. Plin. Panegyr. c. 33. Liv. XLI. 20. *Meierotto*, über Sitten u. Lebensart der Römer, I. p. 136. *A. W. Schlegel*, I. p. 111 sq. »Nein es ist nicht der Anblick des Leidens, was den Reiz eines Trauerspiels ausmacht, oder der Spiele des Circus, oder selbst der Thiergefechte. In diesen sieht man Gewandtheit, Stärke und Muth sich entwickeln, die geistigen und sittlichen Fertigkeiten der Menschen verwandt sind.« — Non sanguinem in arena effusum delectasse populum Romanum, reipublicae certe temporibus, sed potius constantiam et fortitudinem gladiatorum, cognoscere licet ex Cic. Fam. VII. 1. et Plin. N. H. VIII. 7. — Immania demum et crudelia facta sunt sub exitum reipublicae (unde Aug., teste Suet. Oct. c. 45., gladiatores sine missione edi prohibuit) et serioribus imperatorum temporibus (Seneca, Ep. VII. et XCV.) Antea pauca tantum in arenam descenderant gladiatorum paria (Liv. XXXI. 50. XXXIX. 46. XLI. 28.), neque ita, ut certae et inevitabili caedi inermes obiicerentur, sed armis bene muniti. Unco eos tractos esse in spoliarium, si vulnerati aut caesi essent, nullo veterum testimonio satis firmatur.

§. 11.

De eorum opinione, qui argumentorum tragicorum peregrinitatem in causa fuisse posuerunt, cur tragoedia populi plausum ferre non potuerit, dictum est §. 7. Hic breviter tangam eam Virorum nonnullorum [1]) sententiam, ex qua Romani tragoedias et comoedias suas spreverint utpote e Graecis translatas patriisque moribus nocentes. Quanquam vero non diffiteor maximam Romanorum partem repudiasse Graecarum literarum cognitionem, neque etiam, si nobiliores operam iis navarent [2]), id approbasse; tum quod ridiculum putarent eorum literas discere, quos ipsi armis superassent [3]), tum quod nollent eos, qui reipublicae sese dedidissent, doctrinae studiis prohiberi, quominus ad communem civitatis conferrent salutem [4]): sine dubio tamen Romani quae ipsorum poetae Graeca in latinam linguam converterant non Graecis amplius literis annumerabant, sed tanto magis sibi vindicabant, quanto liberius Latini poetae Graecos imitati erant, et quanto fortius etiam in his Graecorum imitationibus Romani ingenii vis ac gravitas expressa erat.

Denique inde quoque tragoediarum contemtionis causam repetierunt [5]), quod histriones nullo in honore habiti fuerint a Romanis, sed semper fere ad despectissimos et infimae classis homines pertinuerint. Verum quidem est, histriones plerosque servos fuisse aut libertos, infamia ita notatos, ut neque stipendia facere neque ius suffragiorum exercere iis liceret (Liv. VII. 2. Val. Max. II. 4.), utque vapularent adeo, si quid in scena deliquis-

1) *Herder*, über die Ursachen des gesunkenen Geschmacks VII. p. 27. *Schober*, über die Atellanen, p. 7.

2) Qui tamen iam Terentii aetate non pauci fuisse videntur; nam Terent. Heautont. Prol. 7. se Graecae fabulae, quam expresserit, auctorem nominare nolle dicit, quia maiori spectatorum parti notus sit.

3) Plut. Mar. c. 2. Sall. Bell. Iug. c. 85.

4) Cic. pro Arch. poeta, c. 6. de Off. II. ab in. Acad. Prior. II. 2. 5. et 6. — Cf. *Jacobs*, Nachtr. zu Sulzer, I. p. 13 sq. *Garve*, Anmerkungen zu Cic. II. 3. *Bernhardy*, Litteraturgesch. p. 25. not. 48.

5) *Herder*, Wirkung der Dichtkunst bei den Römern, IX. p. 403. *Bernhardy*, Litteraturgesch. p. 166. *Bähr*, Röm. Litt. p. 72. Vir Doctus in Allgem. Schulz. Abth. II. no. 73. 1830. p. 586.

sent [6]): attamen neque omnes histriones eodem modo contemtui erant [7]) Romanis, neque, si in universum toti eorum classi macula adhaerebat, id populum a re scenica avertere poterat. Annon etiam apud nos actorum scenicorum nomini plerumque nota aliqua turpitudinis et dissolutae vitae inusta est? et nonne Graecorum quoque posterioris temporis histriones in tantam omnium contemtionem venerant, ut Aristoteles in causas adeo inquireret, unde factum esset, ut maxima histrionum pars perditis ac corruptis moribus uteretur? [8]) — Quanto magis igitur Romani genus illud hominum contemnere debebant, quod ab initio statim omni Italica severitate carebat neque postea meliorem famam et existimationem consequi poterat, quoniam iuvenes Romani Atellanarum actionem tanquam immunem contumeliae sibi sumsissent, ceterarum vero fabularum actionem peregrinis, servis aut libertis, reliquissent [9]). Nihilo secius tamen artem eorum non minus aestimabant atque admirabantur, quam vilium gladiatorum fortitudinem. Imo contenderunt nonnulli [10]), Romanos in theatris histrionum potius eorumque actionis respectum habuisse, quam poetarum ac scriptarum fabularum; et Roscii Aesopique mimica arte effectum inprimis esse, ut Ciceronis aetate veteres tragici poetae tam magni aestimarentur. Refert huc quoque *Planckius*, quod mentio iudicum quidem fiat de histrionum actione decernentium, nunquam vero talium, qui de fabulis a poetis scriptis iudicium ferrent. Etsi vero non dubium est, curatores ludorum de artificum actione

6) Plaut. Trinumm. III. 2. 80. Cistellar. in fin. — Cf. *Köpke*, über die bürgerl. Verhältn. der Schauspieler bei den Römern, in der Uebersetzung des Plaut. p. LXII—LXXIX. *Grysar*, Schulzeit. I. 1. p. 362 sqq.

7) Cf. de Roscio Cic. pro Quinct. c. 25. Valer. Max. VIII. 7. Cic. pro Rosc. Comoed. c. 6.; — de Aesopo Cic. ad Quint. Fratr. I. 2.

8) Gell. XX. 4. Cf. *Lange*, Vind. p. 29. not.

9) *Lange*, Vind. p. 29. cupidius iudicasse videtur, cum non tam tragoediarum quam comoediarum actores contemtos fuisse apud Romanos statuat. Ciceronis locus (pro Quinct. c. 25.), ubi Roscius solus dignus dicitur, qui ad scenam non accedat, aeque de tragica ac de comica scena intelligendus est, quanquam largimur, Roscium inprimis comoedias egisse. Neque quod Seneca Ep. 80. de tragicorum actorum vilitate dicit, idoneis argumentis removit Langius.

10) *Herder*, Wirkung der Dichtkunst bei den Römern, IX. p. 404. *Planck*, Prolegg. p. 42.

iudicasse eosque aut praemio [11]) aut poena affecisse, prout egissent: (cf. Plaut. Amphitruo, Prolog. et Poenul. Prolog.); tamen falsa est *Planckii* opinio, de solis histrionibus iudicium latum esse censentis. Ex multis veterum testimoniis patet, non solum singulos poetas scenicos certasse inter se, sed victori etiam palmam praemii loco tributam esse [12]). Hac igitur ex parte Romani non pluris aestimabant histrionum ludum quam poetarum opera: neque praestantissimorum actorum arte ita captos putaverim Romanorum animos, ut ex ea sola poetarum merita iudicaverint. Contulerunt quidem tales actores, quales Roscius et Aesopus erant, quam plurimum ad eorum poetarum laudem, quorum fabulas agebant (Hor. Ep. II. 1. 82.): sed tenendum est etiam, nunquam tragoediae et comoediae praestantiam ac virtutem recte posse intelligi a populo, nisi actio ac gestus, quibus poetae verba illustrentur, accedant; atque optimam fabulam displicere spectatoribus, si gestus et declamatio poetae sententiis non conveniant [13]). Roscium vero et Aesopum cantica solummodo *saltasse* diverbiaque aliis histrionibus reliquisse, quae Cl. *Boettigeri* erat sententia, nulla re probari potest, et oblocutus iam est *Herm.* de Cantic.,

---

11) Praemia histrionum erant coronae sive palmae (Varro, de L. L. V. §. 178. coll. §. 62. ed. *Müll.*). Ab initio hae corollae consertae fuisse videntur ex fronde ac floribus, postea vero facta sunt e »lamina aerea tenui inaurata aut inargentata« (Plin. N. H. XXI. 3.), et inde a Crasso etiam ex puro auro et argento (Plin. XXI. 4.). Mansit vero semper locutio »*palmam ferre, tribuere*« (Cic. Att. IV. 15. Plaut. Amphitr. Prol. et Poen. Prol.). Ceterum *palmae*, quae victoribus dari solebant, primum Romam delatae sunt a. 461. U. C. (Liv. X. 47.).

12) Cic. Phil. I. 15. Plut. Pomp. 52. Plaut. Cas. v. 17. Hor. Ep. II. 1. 180. Plura collata vide a *Grysario*, Schulzeit. l. l. p. 347 sqq. — Hinc et corrigenda, quae *Jacobsius* (Nachtr. zu Sulzer, IV. p. 335.) dicit: »Bei der Aufführung fand kein Wettstreit weder unter den Dichtern, noch unter dem Volke statt.«

13) Qui plura cognoscere cupit de insigni tragoedorum et comoedorum Rom. arte, is adeat *Langii* Vindic. p. 19—21. et inprimis laudatissimam *Grysarii* Commentationem (über den Zustand der Röm. Bühne im Zeitalter des Cicero), Allgem. Schulzeit. 1832. Abth. II. p. 313—374. — Multa hic omittenda sunt, quae de histrionum pronunciatione, cantu, personis aliisque huiusmodi rebus animus me dicere impellit: alia fortasse occasione oblata haec uberius tractanda mihi sumam.

Opusc. I. p. 289 sqq., qui diverbia quoque illos egisse luculenter demonstravit (*Wolff*, de Cantic. p. 11 sqq.). Sed verisimile est, etiam cantica tragoediarum, quae alio canente taciti illi saltabant, per saltationem eorum multo clarius intellecta esse a populo, multoque maiorem ei attulisse delectationem, quam si simpliciter decantata fuissent.

§. 12.

Multa vero sunt certa indicia, ex quibus et de cultura humanitateque Romanorum et de singulari studio, quo scenicis ludis dediti erant, coniicere licet. Qui rudes incultosque appellare consuerunt Romanos, eosque paucis exceptis ne intellexisse quidem pronunciarunt scenicas fabulas: ii non respexerunt tales locos, quales hi sunt: Cic. de Orat. II. 83.: »Et quum sint populares multi variique lapsus, vitanda est acclamatio adversa populi: quae aut orationis peccato aliquo excitatur, si aspere, si arroganter, si turpiter, si sordide, si quoque animi vitio dictum esse aliquid videatur.« Cic. Brut. c. 50. »Id enim ipsum est summi oratoris, summum oratorem populo videri.« Orat. c. 50.: »Conciones saepe exclamare vidi, quum apte verba cecidissent.« Cf. *Meierotto*, über Sitten u. Lebensart der Römer, I. p. 86 sqq. De subtili populi in theatro spectantis sensu ac iudicio compares, si lubet: De Orat. III. 25.: »Quanto molliores sunt et delicatiores in cantu flexiones et falsae voculae, quam certae et severae? quibus tamen non modo austeri, sed si saepius fiunt, multitudo ipsa reclamat.« De Orat. III. 50. §. 195 et 196. — Cic. Paradox. III. 2. 26.: »Histrio si paullum se movit extra numerum aut si versus pronunciatus est, syllaba una brevior aut longior, exsibilatur et exploditur.« — Horat. Ep. ad Pis. 112 sq. 153. 248. Plura dabit *Lange*, Vindic. p. 30 sq. [1]). — Fieri autem omnino non potuit, quin magis magisque excolerentur Romanorum animi, cum quotidie paene in foro praestantissimos oratores audirent verba facientes, et frequentissime summorum poetarum fabulas in scena spectarent repraesentatas [2])! Profecto, etiamsi Romani Livio primas fabulas edente nondum mansueti et

---

1) Neque in contrariam partem accipienda sunt Quintiliani I. 6. extr. verba »tota saepe theatra et omnem Circi turbam exclamasse barbare scimus.« Intelligenda sunt de vitioso loquendi genere.

2) *Meierotto*, l. l. I. p. 125 sq.

ad carmina intelligenda satis exculti fuissent, paullatim humanitatis ac pulcri sensum assumere debuissent. At iam tum eos non plane expertes fuisse culturae patebit ex iis, quae supra §. 1. de satura eorum diximus, atque ex plausu, quo primae Livii Andronici fabulae exceptae a populo esse dicuntur (Liv. VII. 2. Valer. Max. II. 4. 4.). Quanto vero studio Terentii aetate Romani theatra frequentaverint, docet Prolog. II. eius ipsius fabulae, quae propter plebis turbas bis peragi non potuerat, Hecyram dico, ubi versu 38. poeta dicit: »Nolite sinere per vos artem musicam *Recidere ad paucos.*« Et Ciceronis aevo, cum insignes illi actores Roscius et Aesopus scenicam artem ad summum perfectionis fastigium evexissent, tam impense Romani fabulis spectandis operam navabant, ut Horat. adhuc queratur, cunctos paene patres cum pro impudente homine habere, qui, quae Aesopus et Roscius egerint, reprehendere conetur (Ep. II. 1. 80 sqq.). Iterum iterumque easdem tragoedias et comoedias spectando, memoria paene eas tenebant [3]; populusque festis diebus versus, quos in theatris didicerat, solebat cantare [4]). Oratores coram populo verba facientes tragicorum locos tanquam lumina et ornamenta inserere consuerant orationi, neque metuendum iis erat, ne obscura et ignota proferrent (*Lange*, Vind. p. 34 sq. Quint. I. 8. 11.): praeterea non solum in epistolis, in philosophicis et rhetoricis libris versus ac sententias tragicorum Romani interponebant, sed in vitam adeo communem multa vocabula et proverbia a tragica scena repetita transferebant (*Lange*, p. 32 et 36). Nec tamen cum *Bernhardyo* (Litteraturgesch. p. 175) statuerim, populo Romano nil placuisse in tragoediis nisi singulas illas ad rempublicam vel ad mores spectantes sententias, cum totarum tragoediarum finem ac scopum nihil curaverit. *Πραγματικοὶ* quidem prae reliquis omnibus populis erant Romani; neque negari potest, eos, cum tragoedias spectarent, ad ea, quae de rebus ad civitatem aut mores pertinentibus sentirent, singulos tragicorum versus referre solitos esse [5]); sed ut hoc

3) Hor. Ep. II. 1. 53. 4) Ovid. Fast. III. 535 sq.

5) Cf. *Langium*, Vind. p. 39—41. Interdum adeo histrionum artificio clarius indicabatur, quomodo sententia aliqua ad rempublicam transferenda esset (Cic. pr. Sext. c. 56 sqq.), et millies tum revocabantur. — Ipsius ludorum procuratoris respectus habebatur in plaudendo aut sibilando; si quis popularis homo ludos ederet, et frequentissimi veniebant ad theatrum et quantum per ipsos ludos

ipsum tragoediam cum republica arctius coniungebat, non tamen unicum erat, quod spectatores Romanos caperet ac delectaret. Qui cogitaverit de consuetudine illa, ex qua mimi et Atellanae ad mitigandum nimium dolorem tragoedias exciperent (cf. Schol. ad Iuv. Sat. III. 175. cf. supra §. 10.) et qui contulerit Cic. Tusc. I. 44. et Schol. ad Hor. Ep. I. 1. 67. aliosque similes veterum locos, is intelliget clarissime, Romanos et vere tragicos affectus ex totius tragoediae nexu animo concepisse, neque cunctos ab ea sensuum humanitate abfuisse, qua ad tragicos affectus ciendos opus est.

Cum ad finem disputationis meae pervenerim, summam eius paucis ita complectar:

> Tragici Romanorum poetae, etsi Graeca plerumque premerent vestigia et usque ad Augusti tempora rudi et incomta lingua uterentur, insignes tamen erant propria ingenii vi et gravitate, iisque exceptis, qui animi potius et exercitationis causa quam poeticae indolis instinctu ad tragoedias componendas accederent, certe non minore laude digni sunt, quam reliqui Latii poetae: populi vero Romani maior saltem pars summo per ultima reipublicae tempora studio tragicas actiones spectabat, ac verisimile est, Romanos non tantum singulas tragicorum heroum virtutes ac sententiosam tragoediarum sapientiam admiratos, sed, quos excitare student tragici poetae animi affectus, iis sese commoveri passos esse.

---

liceret iis plaudebant. Hinc anxie Bruti amici expectabant, quid populus de ludis eius indicaturus esset: (Cic. Ep. ad Att. XV. 26. §. 1. et ep. 28.); et postquam hi ludi summo cum populi plausu celebrati essent, iure id afferre poterat Cicero, quo Brutum adhuc amatum esse a populo Romano demonstraret (Phil. I. 15. II. 13. 31.).

Errata:

p. 24. pro *argumentae* legas *argumenta*
p. 32. pro *Baevii* legas *Bavii.*

IMPRESSIT FRIDERICUS ERNESTUS HUTH, TYPOGR. ACADEM.